FRANCISCI NORCIA

ADVOCATI, ET ANTECESSORIS ROMANI

JURIS NATURÆ ET GENTIUM

INSTITUTIONES

IN USUM AUDITORUM

ADORNATÆ

— Omnium quae in hominum doctorum disputatione versantur nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus. —

Cicero de Legibus I.

VOL. II.



ROMÆ
Excudebat Linus Contedini
ANNO MDCCCXXX.

INSTITUTIONUM

JURIS NATURÆ, ET GENTIUM

LIBER II.

DE JURE GENTIUM.

CAPUT I.

De Gentis natura, et Imperio Publico.

§. 262. *Gens*, *Populus*, *Natio*, hoc est, *civilis*, *publica societas* (eadem enim harum omnium vocum penes juris nostri scriptores significatio est) ex pluribus familiis simul junctis efficitur (§. 17.). Patresfamilias, diversi licet, communi vinculo inter se in eumdem finem sociati universi *personam moralem* (§. 10.) referunt, quæ *Gens* in re nostra dicitur: - *plurium*, nem-

pe, *familiarum cœtus juris fruendi*, *et communis salutis causa institutus*. -

§. 263. De origine Gentis speciosa magis, quam utilis quæstio est, si ea id unum quæratur, quo tempore, et qua ratione civiles societates primum coaluerint. Gentium divisionem generatim indicat sacer codex *Geneseos libro cap. X.*, ubi Noemi generationes recensens, de Japheti posteris primum ait *versu* 5.-*Ab his divisæ sunt insulæ Gentium in regionibus suis*, *unusquisque secundum linguam suam*, *et familias suas in nationibus suis*. - Ratio autem civilis societatis, dominationisque constituendæ una præ ceteris determinari vix potest : neque hoc necessarium videtur. Sive familia plurima progenie aucta civitatis formam paullatim induerit : sive naturalis perfectionis, commodorumque illecebris ducti homines alii aliis se stabili consociatione devinxerint : sive humanæ nequitiæ impetus sociali vi declinare, compescere iidem studuerint : aut ad vim inferendam ipsi antea male congregati, mutatis moribus, postea cœtum suum in civilis

vitæ cultum deduxerint: quidquid ex his sequaris, peculiarem quidem civitatis ortum detexeris; rem tamen universe non expedies.

§. 264. Sed longe gravior, et præstantior quæstio erit, si illud expendatur, quo jure, et qua necessitate civiles consociationes inter homines extiterint. Ex his enim gentium naturam noscere, necnon jura, et officia deducere fas est. Qua in disquisitione illud oppido exploratum habendum, politicas, seu civiles societates, ex naturali, et pro certo rerum statu necessaria causa inter homines extitisse.

§. 265. Sane postquam socialis humanæ naturæ constitutio detecta fuit (§. 214.), otia absumeret sua quisquis naturalem societatum indigentiam, appetitumque in homine multis ostenderet. Sed et propriæ perfectionis studium cuique insitum agnoscendum est, quando perfectio naturæ bonum exhibet (§. 6.). Homo igitur qui societatis ope bona sua conservat, et perficit, naturali veluti cursu a simplicibus societatibus ad compositas fertur, quales civiles consociationes

sunt: quæ, ut ex definitione patet (§. 262.), minorum societatum, unde constant, utilitatem continent. Ex quo planum est, civiles societates, licet cum homine natæ non sint (nec enim poterant), recte tamen dici naturali ex causa provenisse. Scite enim observat Aspasius ad Aristotelem - *Ea quoque natura esse, quæ in nobis natura dispositis, successu temporis quidem proveniunt, indigent tamen, ad perfectionem ut perveniant, adminiculo externo* (1).- Et elegantius Tullius nostra confirmat, quum scribit - *Natura hominis sic generata est, ut habeat quiddam innatum quasi civile, atque populare, quod græci* πολιτικον *vocant* (2).

§. 266. Necessitatem quod attinet, eadem natura quæ homines se tueri, atque ita se suasque vires, et facultates excolere jubet (§. 58.), jubet etiam media adhibere quæ impositæ obligationi explendæ apta

(1) *Ethic. II.*
(2) *De Finibus V.*

sint. Jamvero, quid in innoxio naturæ statu futurum esset non quæro; licet fuerint qui etiam felici illa vitæ conditione aliquid politici regiminis extiturum fuisse defenderent (1). Lubentissime item Zallingero (2) assentiar, *posse hominem ob altiores fines ipsa humana societate excedere*; quod tamen vitæ institutum uno Dei munere, aut eximiæ virtutis usu comparatum (3), humani commercii necessitatem in ceteris non destruit (4). At illud compertissimum teneo, posita hominum pravitate, unum humani generis conservandi medium politicas societates generatim superfuisse. Hoc, ut alia mittam, et vetus, et recens humani generis historia luculenter demonstrat. Reque vera, si paucissima, aut fabulosa, aut non rite expen-

---

(1) S. Thom. *P.* 1. *Q.* 96. *art.* 4.

(2) *Inst. I. N. et G.* §. *CXCIV. b.*

(3) S. Thom. 2. 2. Q. 188. *art.* 8. *in c.*

(4) Confer eumdem loco nunc laudato *ad* 5. Vide etiam Gerdillum *Discours philosophiques sur l' Homme considerè relativement à l'Etat de Nature, et de Societè Chap.* XII.

sa exempla excipias, videas homines cunctos in aliqua politica societate vivere. Utique pro vario civilitatis gradu, modo familiarum principem, modo belli ducem potius, quam regem, et passim regulare imperium in gentibus reperias; semper tamen aliqua politica societas, cui nostra civitatis notio respondeat, occurret. Parum igitur de nomine laborandum, ubi res manet; et potius ex universali hujusmodi facto universalis etiam causa, seu naturalis, et ex communi aliqua indigentia orta arguenda est (1).

---

(1) Sane quæ de Aboriginibus populis apud ethnicos scriptores habentur incerta, aut ex absurda hypothesi veræ humanæ origini superextructa de primigenio hominum statu ferino mutuata; quam post antiquiores exhibuit Horatius (Sat. III. v. 99. Lib. I.)

Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum et turpe pecus, glandes atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus; atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus sensus, vocesque notarent,
Nominaque invenere.

Ita Sallustius ut philosophicum exordium historiæ suæ de catilinario bello præstaret, primos Latii homines statim de-

§. 267. Quam ob rem Gens, Populus, Natio, *societas naturalis* noscenda, cui naturæ obligatio, humani generis, nempe,

---

scribit - *Genus hominum agreste sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.* - Nec aliter de primis Africæ incolis loquitur in Jugurthini belli historia, - *Africam initio habuere Getuli et Libyes, asperi, incultique: queis cibus erat caro ferina, et humi pabulum uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cujusquam tenebantur: vagi, palantes, qua nox coegerat, seaes habebant.* - Hæc tamen ne pro exploratis ipse gravissimus scriptor habere videretur, initio consultissime monuit - *Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.* -

Quis autem serio accipiat quæ de Cyclopibus, Sicaniæ antiquissimis pastoribus, venuste canit Poeta?

Οδυσ. Βιβλ. κ.

Τοισιν δ' ουτ' αγοραι βουληφοροι, ουτε θεμιστες;
Αλλ' οιγ' υψηλων ορεων ναιουσι καρηνα
Εν σπεσσι γλαφυροισι. θεμιστευει δε εκαστος
Παιδων ηδ' αλοχων, ουδ' αλληλων αλεγουσι.

Nec fora conciliis fervent, nec judice: tantum
Antra colunt umbrosa: altis in montibus aedes
Quisque suos regit, uxorem, natosque, nec ulli
In commune vacat socias extendere curas.

Odys. lib. X.

Tantum hic velim animadverti solertissimum naturæ cultorem, ne fabulæ, quam finxerat, veri imitatio

conservatio et felicitas, pro fine est (§. 266.). Constantes igitur huic sociali statui notæ, et relationes conveniant oportet, quæ

---

dresset, imperium cum socialis vitæ cultu ponere. vel removere. Segreges inter se Cyclopes publico imperio carent: at domestica eorum societas familiari imperio munita. Profecto veteres postquam multa de ferino illo vitæ statu somniassent, humani cultus, socialisque vitæ initia a politicis hominum consociationibus repetere consueverunt, quum nempe homines

Absistere bello
Oppida coeperunt munire, et ponere leges.
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter:

ut pergit Horatius (l. c.).

At si fabulis, ingeniique ausibus relictis, in terrarum orbem oculos convertas, vix aliquas polares regiones legitimi imperii expertes invenias, ubi cœli inclementia, vago victu, incomptis moribus, ipsa civilis vitæ consuetudo deficiat. Nil mirum, hercle, politico imperio caruisse arcticas gentes, si tales reapse erant, quales descripsit Paulus Jovius (*Descript. Moschoviae*) *In extremo ejus oceani littore, ubi Norvegia, atque Svecia amplissima regna isthmo quodam continenti adhaerent Lappones existunt, gens supra quam credibile est, agrestis, suspiciosa, et ad omnis externi hominis vestigium, navigiique conspectum maxime fugax. Ea neque fruges, neque poma, neque ullam vel terrae, vel coeli benignitatem novit. Sola sagittandi peritia cibum pa-*

moralis veri fundamenta inter socios existant (§. 215.). Sed naturalium societatum necessaria, hoc est, ab Auctore naturæ ad so-

---

rat, variisque ferarum tergoribus vestitur, gentis cubilia cavernulae siccatis foliis repletae, cavique arborum stipites, quos vel intromissa flamma, vel ipsa vetustas inducta carie fabricarit. Aliqui ad mare, ubi ingens est captura piscium, ineptis, sed felicibus artificiis piscantur, duratosque fumo pisces, tamquam suas fruges recondunt. Lapponibus exigua corporum statura, luridi contusique vultus, pedes velocissimi. Ingenia eorum ne ipsi quidem proximi Moschovitae noverunt, quum eos parva manu aggredi exitialis insaniae esse dicant, magnis vero copiis inopem rerum omnium vitam ducentes lacessisse, neque utile, neque unquam omnino gloriosum existimarint. Ultra Lappones in regione inter corum et aquilonem perpetua oppressa caligine, Pygmaeos reperiri aliqui eximiae fidei testes retulerunt, qui postquam ad summum adoleverint, nostratis pueri denum annorum mensuram vix excedant; meticulosum genus hominum, et garritu sermonem exprimens, adeo ut tam simiae propinqui, quam statura, ac sensibus ab justae proceritatis homine remoti videantur. - Nec tamen in aliis polaribus gentibus politici regiminis specimen quoddam ignotum. *Aleutae* suos duces habent: *Eschimoi* regem (Hist. Amer. VV. XIV. p. 76. XV. 117.). *Groenlandenses* sine imperio vivere utique traditum: at æque relatum est eos hebetiores, simplices, et fere apathas esse (H. Am. XIV. 171.).

Sed quid quisquiliæ hæ de mundi regionibus, quas habitari posse antiquitas negabat (Virgil. Georg. I. v. 241. Plinius

cialem finem consequendum, et socialis ipsius status essentiæ vi constituta nota imperium est (§. 220.). Et civili societati igi-

---

H. N. II. 68.), pro reliquae terrae sive antea cognitæ, sive recens inventæ facto æstimandæ? Asiam non morer, quippe quam civilium dominationum matrem omnes agnoscant. Sat erit notasse Palestinæ, fertilis quidem, at non adeo latæ regionis ambitu triginta et ultra regna sacris literis prodi *Josue XII.* Quid Europam memorem, quam vix profanæ historiæ lux apparet, civili aliquo regimine usam accepimus, et uti in præsens undique conspicimus? De Africa, et America, ut illam lustrare, hanc detegere Gamae, Columbique virtute et aliis concessum est, eadem comperta. Nam Africae statum, qui ab antiquis proditur, expendere inane studium puto. Cui enim obscura *Ægyptiorum* monarchiæ, quam falso Asiæ ascribebant veteres (Plinius H. N. V. 9.), antiquitas, *Poenorum* amplum imperium, *Numidarum*, *Maurorum* regna quæ latam bellicæ laudis materiem Romanis præstiterunt?

Jamvero qui recentiori ævo africanas terras peragrarunt, vel ab iis qui viderant, earum habitus, instituta acceperunt, Cadamosto, Labat, Adanson, Hakluitz, Bosman, Mungo-Park, et divini verbi Nunciatores politicum ordinem aliquem ubique retulere. Potiora sequar. In Senegambia nota regna *Ovval*, cui imperat *Brak*, *Fuli*, *Galam*, *Kasson*, *Bambuk*, *Bondu*, *Wulli*. In Guinea dominationes *Susu*, *Mesunado*, *Quoya*, *Hondo*. Servile littus quod vocant, regna habet *Vidah*, *Ardra*, *Dahomey*, *Benin*. Hic præter regem tres Ordines constituti, *Onegvvas*, patricii viri: *Are-de-roe*,

tur suum imperium, hoc est, civile, publicum ex eodem fonte ascribendum, non ab hominum pactis, quæ moralis veri ra-

---

viarum præsides; *Fiadros*, juri dicundo, et publicis sumptibus præfecti. Nigretiam inter alios occupant, *Bambarrae*, *Laudamari*, *Laartae*, *Tombocti reges*. Ad æquinoctialem plagam adsunt *Conghi* impotens dominatio, *Loangi* hereditarium regnum, aut certa lege electivum; quando et origo stirpis, et electoralis cœtus votum imperandi jus conferunt. In Cafris *Besciuanae* rex seniorum consilio munitus, regnum *Sofolae*, et *Monomotapae* imperium. Et ipsi asperi *Octentotae* regimine aliquo utuntur: electivos duces habent. Ita *Sangalla*, vagi, palantes homines, senum auctoritate continentur: *Trogloditae*, de quibus Plinius (H. N. V. 8.) - *Specus excavant. Hae illis domus, victus serpentium carnes, stridorque, non vox, adeo sermonis commercio carent*. - ut nunc reperti, in tribus divisi hereditariis ducibus parent. *Quiloa*, *Melindae*, *Adel*, *Ashanti*, regna quæ Zanquebar includuntur. Inde *Abyssinorum*, seu Ethiopum imperium est, quod in Ægyptios, unde incœpimus, desinit.

Novam mundi partem qui primus detexit italus Columbus vix ad *Antillas* appulit, insularum dominos offendit, quos *Casichos* vocabant, quosque sibi fœdere jungere studuit (Robertson H. A. vv. I. pp. 174. 175. II. p. 8.). De *Mexicano*, *Peruvianoque* imperio, quorum alterum Imperator, alterum Incha regebat, omnia vulgata (Vide Robertson H. A. vv. V. p. 117. VI. p. 160). *Brasiliani*, ad quos Lusitani anno 1510 accessere, non ita exculti, atta-

tiones ex sociali statu manantes aliter componere non possunt : quæ omnia alias demonstravimus (§§. 215. 225. III.) (1). Præstat jam itaque e natura civitatis civile imperium accuratius evolvere , et quibus partibus constet expendere : quæ melius intelligentur , quum rei definitio præcesserit.

§. 268. Summum imperium itaque in civitate , quod *Majestatem* , *rerum summam*,

---

men seniorum comitio de communi re prospiciebant. Quid de *Bogota* non retulit Quesada , qui eam subegit ? Ibi magnus *Zaques* erat , cui alii Principes *Zippi* , qui dicebantur, obediebant , cum quibus pugnatum est , ut urbe potiri fas esset . Et qui ad *Orenochum* degunt agrestes homines Cacicum suum habent , quandoque hereditario jure , semper in bello rerum omnium arbitrum (H. A. v. XII. pp. 154. 165.) . Inter Francorum portum , et Columbiam flumen hominum quod est perpetuo jure principem agnoscit , quem *Tais* appellat . Hic patriarchale imperium in gentem habet (H. A. v. XV. p. 185.) . *Canadenses* mixta reipublicæ forma uti visi sunt ; quando ibi rex (Casiche) , et popularia comitia saluti publicæ consulebant (H. A. v. XVI. p. 45.) Sed retineam jam me : hæc enim quæ allata sunt politici regiminis usum apud homines plus, quam opus esset, universe demonstrant .

(1) Quibus adde Gerdillum opere laudato *Chap. XIII. nn.* 4. 5. 6. 7. 9.

regimen in omnia civitatis etiam appellant, definitur - *potestas eminens ordinandi civitatem ad suum finem sic ut actus ejus humanæ voluntatis arbitrio, per modum imperii infirmari non possint* -. Finis civilis societatis conjunctorum hominum utilitas, et securitas, seu publicum bonum est: iis ergo juribus summum imperium instructum sit oportet, sine quibus publica felicitas, et salus obtineri nequeat.

§. 269. Jamvero publica salus domi non minus quam foris curanda est. Quid enim interna gentis felicitas prosit, si civitas externæ vi propulsandæ inepta sit? Hinc omnia *Majestatis* jura binas in classes aptissime dividuntur. Alia internam gentis felicitatem primario respiciunt, et intra civitatis fines absolvuntur: alia ad securitatem ab externa vi protegendam pertinent, et cum ceteris gentibus præcipue explicantur. Hæc *Transeuntia*: illa *Immanentia* Majestatis, seu *Regalia* jura vocantur. -

§. 270. I. Primum inter immanentia Majestatis jura est *Legumlatio*, seu le-

gum ferendarum jus. Felicitas enim, commune civitatis votum, socialibus viribus, et studiis conjunctim curanda, promovendaque est. Boni, malique notiones æternæ utique sunt; rationes tamen publicæ utilitatis comparandæ plures, et licet summo studio exquirantur, sæpe perplexæ, et obscuræ. Quid jam pro gente sperandum, si judicium hoc singulorum opinionibus, et lubidini relinquatur? Oportet igitur in civili societate communem veluti rationem esse, quæ multitudinis actiones ad sociale propositum constanter attemperet. Hoc præstat summum imperium, quum generales quasdam regulas statuit, per quas cives, quid eos facere, quid omittere oporteat, quid tandem uniuscujusque arbitrio relictum sit certo cognoscunt. Regulæ hæ a potestate, unde sunt, *civiles leges* dicuntur; quæ tamen summæ naturæ legi repugnare non debent: quod ex generica legis ratione supra exposita (§. 20.), et gentis ipsius fine, exploratissimum est. Ubi vero aperta naturalis juris violatio non sit, pro legum justitia ferendum judicium;

civilis enim coalitionis bonum lege continetur, quæ, ut Demosthenes scripsit, est - *civitatis compositio communis secundum quam omnes decet vivere, qui in civitate sunt* -, et ob hanc rem, ut ipse Orator loquitur, ευρημα και δωρον Θεου, *inventum ac munus Dei* (1).

§. 271. Curandum sane ut leges, quæ jubeantur, gentis officia, de quibus postea, promoveant, et communi civitatis voto satisfaciant. Verum difficili hujusmodi negotio vel prudentissimi viri errori quandoque obnoxii. Ad hoc, et quæ sapientissime provisa, jussa semel sunt, vel optato fine latente aliqua ratione destituuntur., vel temporibus mutatis inutilia, aut etiam noxia universæ societati contingunt. Postremo, et cum ratio legis in commune adhuc manet, insignis causa quandoque occurrit cur aliquis a legis necessitate solvendus sit. Legum itaque *abrogatio*, *derogatio*, *obroga-*

---

(1) Vide *legem II. ff. de Leg.*

tio , *dispensatio*, uti technicæ voces sunt, *privilegiorumque collatio* in legumlationis jure necessario continentur. Hæc enim omnia revera nil aliud sunt quam novæ leges, quibus aliquid in commune servandum præcipitur a summa potestate, quæ jus ferendi leges reipublicæ usibus, uti debet, accommodat.

§. 272. II. Nullum tamen jus hoc summi imperii esset, nisi cum altero *pœnas irrogandi*, *et exequendi jure* conjungeretur. Nequidquam enim optimæ leges conscribantur, si has impune omittere, et violare civibus permissum sit. Profecto, si uti lex civitatem, ita singulos ratio moderaretur, pœnis certe non indigeremus. At rari homines in quibus illud Tullii contingat, - *ut ratio præsit*, *appetitus obtemperet* - (1): sensuum vi plerumque perperam acti privato commodo, quod ex legis violatione sibi confingunt, publicum bonum, a sensu remotum,

(1) *De Off. I.*

facile contemnunt. In his igitur, ut civilis securitas habeatur, delicti illecebræ minuendæ, et si fieri possit, omnino tollendæ mali reprehesentatione, quod utilitatem a facinore quæsitam eodem genere vincat: quæ pœnæ efficacia est; cujus generica notio bene tradita per hæc verba - *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.* -

§. 273. Summa potestas itaque, cui publicæ rei onus incumbit, et alios cogendi jus est, pœnas pro criminibus statuat, et sumet tantas quantas civitatis securitas postulet. Et quando pœnæ asperitas delicti voluptatem superare debet, ut finem suum consequatur (§. 272.), ultimum etiam inter physica malum, nempe, mortem aliquando juste irrogabit, si hoc uno concitati animi vim, et inde exortam delinquendi cupidinem compescere, publicamque rem in tuto collocare datum sit. Quod vitæ necisque jus, quo civitas carere non potest, mirum quantum rationes turbet eorum, qui civilia imperia a pactis deducunt. His enim difficilis nodus extricandus obiicitur, quomodo homines jus

in vitam suam quod ipsi non habebant in Rectores civitatum conferre potuerint? Comparationibus alii simplicium vocum, quæ conjunctæ harmoniam, quam singulæ non habebant, efficiunt: alii necessitatis jure, quo minus præ majori malum amplecti concessum est, rem expedire conantur. His tamen non contenti plerique hoc jure vitæ et necis, quod civili potestati necessario inesse debet, socialis pacti hypothesim ad imperii productionem refellunt (1). Sane difficultas omnis evanescit, si Majestatis origo ab Auctore naturæ, uti debet (§. 267.) petatur. Deus enim qui civile imperium ad humani generis conservationem constituit, iis juribus necessario cumulavit, quæ publicæ securitati satisfacerent: quo spectat Apostolus quum de Principe hæc habet (2) - *Dei minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris ti-*

---

(1) Confer, si lubet, Pufendorfium *I. N. et G. L. VIII. Cap. III.* §. 1. Hertium ad eumdem Pufendorfium *VII. III. IV. n.* 2. Zallingerum *Inst. I. N. et G.* §. *CCIV. a*

(2) *Ad Rom. XIII.* 4.

me ; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei , qui malum agit.

§. 274. III. Leges quamtumvis providas , et claras conscribe , nunquam his omnia , quæ accidere possunt comprehendas , aut interpretationis ambiguitatem quamlibet removeas. Hinc lege constituta , facile inter cives , privatis præsertim studiis , odiisque abreptos , litigia , injuriae oriantur, quæ legum ipsarum finem pervertant , nisi summum imperium , cui parendum ab omnibus est , auctoritate sua leges interpretetur , factisque rite cognitis applicet . Majestatis igitur jus agnoscendum - *Potestas Judiciaria* ; qua revera primi gentium Rectores per se functi sunt , uti ex sacra Historia patet *Regum libro I. v.* 85. , ubi Hebræi Samuelem rogant - *Constitue nobis Regem , ut judicet nos : sicut et ceteræ nationes habent* - (Vide etiam *v.* 20 , ubi iidem munia regia distinctius enumerant) . Sed , gente multiplicata, a Principe (quo nomine hic intelligimus quod Itali dicimus *il Sovrano* , *la So-*

vranità) judicandi munus designatis viris commissum est ; ita tamen ut jus controversias recta cognoscendi, vel de sententiæ justitia ultimo loco pronunciandi a summo imperio nunquam recesserit. Judicia enim cum ad jurium omnium vel singulorum custodiam, hoc est, maximum civitatis finem, necessario pertineant, a Majestate penitus divelli non possunt : quo respexit Plato quum docuit - *Sine judiciis civitatem non esse* -.

§. 275. IV. Si publicæ rei quandoque expediat, pœnas minuere, vel remittere, summi imperii hoc jus erit, quo uno pœnalis legis sanctionem pro communi felicitate moderari, aut tollere fas est (§. 271.). Jamvero incidunt quandoque tempora, quibus delictis nonnullis veniam, aut aliquam excusationem dare, et tutum, et utile sit. Si clementia, puta, ex summis delinquentis meritis excitata, pro malorum imitatione, virtutis potius studium in aliis accendere apta sit ; cujusmodi fuit illa, qua Populus Romanus, Tullo rege probante, in Horatium sororiæ necis reum usus est ; quis eam pu-

blico bono utilem non agnoscat? (1) Jocularis autem breviuscula Stoicorum ratio, qua sapientem nemini ignoscere posse ita demonstrant: - *Venia est remissio pœnæ debitæ: sapiens autem quod facere debet facit*. - Nam et sapiens quod sibi debetur, aliquando remittit, si ea remissione præstantius aliquod bonum consequatur: quod et publica societas, cui pœna debetur, facere potest, nulla certe delinquentis injuria; in eo enim necessitas pœnæ ferendæ non jus, sed obligatio est: unde æquivocatio in voce *debitæ* extricanda. *Pœnarum* igitur *mitigatio*, *remissio*, Majestaticum jus agnoscendum; quo *Abolitio*, et *Amnestìa* ex eadem causa referendæ sunt. Altera enim ipsa criminis inquisitio contra aliquem instituta ulterius progredi prohibetur: altera vero, facta, quæ difficillimis præsertim temporibus evenere, nec legitima nec illegitima pronunciata publicæ tranquillitatis commodo perpetuæ oblivioni mandantur.

---

(1) Vide Tullium *Pro Muraena* c. 29.

§. 276. V. Sed nec summum imperium destituendum est ratione qua civium virtutem, et præclara facinora excitare valeat. Profecto, civilibus sanctionibus sat habeas, si cives se abstineant a crimine terrore pœnæ (neque id semper datur: supplicium enim, etsi asperius, longe tamen est, conficta autem ex delicto voluptas præsens): ut vero naturæ opes in commune bonum intendantur, hoc virtutis munus est, quæ, ut perbelle Tullius vidit (1), - *Nihil est aliud quam in se perfecta, & ad summum perducta natura.* - Excolit enim virtus quod naturæ cujusvis est, et ad perfectionem suam adducit. Si igitur benefica hæc vis perficiens hominem invaserit, ecquis non videat quanta inde bona in civitatem sint proventura? Quidquid cognitionum, patriæ caritatis, artiumque bonum est, inde necessario descendet; quando hæc omnia tum denique affluunt, quum humanæ naturæ facultates, et vi-

(1) De LL. I.

res ad perfectionis gradum, quo contendere possint, virtute pervenerint.

§. 277. Jamvero vehemens calcar ad egregia patranda præmium est, quod probe collocatum naturalem hominum cupiditatem in communem felicitatem convertit. Honestissimum autem, et ærario publico non grave præmii genus est *honos*, quo nempe alterius præstantia externa significatione decoratur (§. 69.); cujus vim maximam ad optimas quasque disciplinas promovendas multis exemplis confirmat Tullius *Tusculan. I.* unde illud, quod jam omnium sermone tritum proverbium effectum, statuit - *Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriæ, jacentque ea semper quæ apud quosque improbantur.* - Non igitur publico imperio *jus* abnegandum, civili quidem in re, *præmia* in eos, quos dignos censeat *conferendi*, *civiumque intensivam existimationem* legitima sanctione *constituendi*: quæ civilis dignitatis origo est. Opinio enim boni viri: quæ *simplex existimatio* dicitur: nisi flagitiis patratis, nemini decedit; sique alius

eam exagitet, læsam famam tueri perfecto jure cuique conceditur (§. 93.): at dignitatis, honorisque prærogativam: quæ *intensiva* existimatio est: licet virtuti debitam; *habet enim justam venerationem quidquid excellit*, - bene Tullius (1): eam tamen, nisi pactum, aut imperium, aut lex accedat, vi sibi in alios vindicare et arrogans et injustum est (§. 69.). Quo igitur cives, qui omnes publico imperio eadem obligatione subiiciuntur alii alios emineant, id consequi debent a Principe, qui judicium de civis cujusdam præ aliquibus præstantia legitimo honore concesso, in publicam existimationem convertat, ceterisque eam servandi perfectam obligationem imponat: quod jus agnoscit M. Terentius apud Tacitum (2) - *Non est nostrum æstimare quem supra ceteros, et quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria re-*

(1) De Nat. Deor. I.

(2) *A. VI.* 8.

licta est. - Et cordatissime Plinius (1) - *Discrimina ordinum, dignitatumque, si confusa, turbata, et permixta sint, nihil est ipsa æqualitate inæqualius.* -

§. 278. VI. Quisquis multa, et gravissima civitatis negotia, ut publica felicitas curetur, vel leviter advertat, facile inter Majestatis jura *Ministros*, *Magistratusque creandi potestatem* recenseat. Alios enim in publicæ rei curam vocare magnitudo negocii Principem cogit (Vide Exod. XVIII. 18.) : rempublicam vero administrare, sine imperio nemini licet. Princeps igitur viros constituat oportet, quos populo in aliqua re vice sua præesse velit. Hinc Ministrorum, Magistratuumque potestas pro jurisdictione concessa, veluti supremæ potestatis derivatio servanda ab omnibus est. At Ministri, Magistratus Principis subditi manent, cui rationes muneris sui reddere debent, et apud quem pas-

---

(2) *Epist.* 5. *lib.* IX.

sas injurias contra auctores persequi civibus integrum est (confer §. 274.).

§. 279. VII. Accedit publici imperii non levis cura ut commercia a gente domi forisque quam tuto, et commode exerceantur. Eadem enim necessitas, quæ homines hominibus aliis carere non patitur, rerum permutationes in hominum vita omnino flagitat (§. 158.). Permutationes autem, aut difficiles, aut incertæ erunt sine pecunia, cujus perpetua, et publica æstimatio certum permutandarum rerum pretium exhibeat (§. 160.). Hinc enim diffidentia, timor, moræ exorientur, quæ commercia impediant. At enim constans hæc, et expedita rerum omnium in commercio versantium mensura in unaquaque civitate, nonnisi a summo Imperante præstari poterit, qui nummi pondus, et sinceritatem auctoritate sua inter permutantes defendat. Hæc *Monetæ* origo, quæ pro nostris moribus apte definietur - *metalli frustum pondere, qualitate, nomine determinatum, numerarium valorem publico signo confirmatum exhibens, rerum* ,

operarumque omnium, *quæ in commercio versantur*, *mensura* - : *quam cudere Majestatis* est, unde monetæ sanctitas pendet; qua privatorum fraudibus semel violata, illegitimis, aut falsis nummis in vulgus invectis, publica fides, quæ commercii anima est, universæ societatis damno corrumpitur.

§. 280. VIII. Sed neque internam, externamque securitatem, et communem felicitatem curare sine sumptibus, quibus necessaria ad rem parentur, cuiquam fas erit. Summo imperio igitur jus addicendum *vectigalia*, *et tributa imperandi*, quæ civitatis fini assequendo necessaria sint. De summa gentis necessitate exemplum posuit Tacitus (1), quod ad cetera facile trahitur - *Nec quies gentibus sine armis*, *nec arma sine stipendiis*, *nec stipendia sine tributis haberi queunt.* - Justum sane cives, qui publicæ societatis bono fruuntur, rei onera ferre; quæ tamen non a privatorum judicio,

---

(1) *Hist. IV.*

sed a civili potestate pro communibus usibus juxta uniscujusque vires, et commoda decernenda sunt. Publicis oneribus pariter accensendus splendidus quidam summi Imperantis cultus, qui subditorum venerationem externo etiam apparatu publicæ potestati conciliet. Huic Imperantium sustentationi, et decori ab antiquissimis temporibus bona quædam, et jura addici consueverunt, quæ *domanialia*, *bona regia* (*beni della Corona*) appellata, quorum emolumentis Principes ex animi sui sententia: substantia vero, nonnisi ad publicam causam, institutioni convenienter, utuntur.

§. 281. IX. Majestatis jus quod nostri juris Scriptores nonnulli *Dominium eminens* dixere, unde lis de nomine potius, quam de re cum aliis exorta (1), rectius mea sententia, *eminentem potestatem in bona civium* vocemus, nec cordatum quemquam offendemus, qui jus hoc civili imperio generatim ascribe-

---

(1) Vide Fr. Buddeum *Hist. Jur. Nat.* §. 53.

re detrectet. Nam si cuidam minus arrideat dominii vox, quasi ea statuatur, publica societate constituta, cives proprias res habere non posse: qua significatione tamen nemo prudens jus illud explicavit unquam, et ex ipsa gentis natura (§. 262.), falsum deprehenderetur: eminentem certe potestatem in bona civium, veluti summi imperii consectarium, omnes agnoscent. Eadem enim Majestas, quæ universam civitatem ad finem suum consequendum disponit (§. 268.), ut civium actiones, ita eorum res, et facultates quandoque afficiat oportet, ubi nempe aliquid jubeat pro publica re, quod sine privati dominii usu impleri nequeat. Recte hinc sentiunt qui jus hoc Majestaticum in *ordinarium*, et *extraordinarium* discriminant; occasio enim illius exercendi alia in communi imperii exercitio; alia in publica aliqua necessitate sese prodit.

§. 282. Prioris exemplum suppeditant populorum leges, quæ adolescentium, prodigorumque impetus in rebus suis tractandis datis curatoribus coercent, civium sumptus,

bonorum acquisitiones, successionesque moderantur, (confer. §§. 118. 127. 261.), et id generis aliæ: quæ vel dominorum securitati prospiciunt, vel privati dominii usum publicæ utilitati, uti debet, attemperant. Alterius species occurrit in re trepida totius civitatis; ita, si urbes muniendæ, vel defendendæ, aggeres struendi, vel fossæ ducendæ adversus hostiles impetus, licebit utique publico imperio agros ad rem necessarios, hortos, domosque privatis possessoribus adimere, et pro communi re tuenda occupare. Sed jus hoc a necessitate exortum cum ipsa necessitate expirat. Ad hoc, non cogendus possessor, ut solus commune incommodum ferat, sed ejus damnum a ceteris, qui eo tuti fuerunt, omnino sarciendum. Sane publica necessitas exigit quidem ut aliquis re sua careat, ut vero unus pro omnibus damnum patiatur non postulat; a necessitate autem jus est.

§. 283. Hæc immanentia Majestatis jura, ad quæ alia, si quæ diversis vocibus usurpentur reducere fas sit. Transeuntia Majestatis jura indicasse sufficiat. I. *Jus Belli*, *et Pa-*

cis; quo perfecta gentis jura ab externa invasione vindicantur, vel contra, eorum expletioni modus imponitur. Utrumque gentibus necessarium, et ab una civili potestate curandum, cujus communem rem tractare, et de ea transigere jus est. II. *Fœdera pangendi*, III. *Legatos mittendi jura*; quorum alterum ad socialitatem cum ceteris gentibus devinciendam: alterum ad rationes publica negocia cum eisdem expediendi, et amicitiæ conservandæ pertinet: ut omnia suis locis melius innotescent.



CAPUT II.

De diversis Rerumpublicarum Formis.

§. 284. Summum imperium in civitate vel uni personæ, vel concilio, vel universæ communitati esse potest. Hinc triplex reipublicæ forma communiter traditur, *Monarchica*, *Aristocratica*, et *Democratica*. Hæc regulares civitatum formæ habentur; nam in his integrum imperium ex subjecto unius generis, physico, aut morali, in omnes civitatis partes excurrit. Ubi hoc non deprehenditur, *irregularis* forma erit, quam et *mixtam* appellant.

§. 285. Si itaque imperium penes unum sit, forma hæc civitatis *Monarchia*: si penes cœtum ex honestioribus conflatum, *Aristocratia*: si tandem penes universos, *Democratia* vocatur. Qui rerum summa in prima potitur, *Monarcha*: qui in altera, *Optimates*: qui in tertia, *Populus* dicitur. Hæ *simplices*

et regulares rerumpublicarum formæ sunt: mixtæ, et *compositæ*, quæ passim finguntur, diversius, et implicatius traduntur, quam generalis juris gentium institutum ferat singulas evolvere, et explicare. - *Constat inter omnes*, ajebat Æschines (1), *tres esse formas rerumpublicarum, principatum unius, potestatem paucorum, et populare imperium*: - et altius Tacitus (2) - *Cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Delecta ex his, et constituta reipublicæ forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest*. -

§. 286. Qualibet ex his reipublicæ forma statuta, Princeps jura imperii intra gentis territorium exercet. Quisquis in civitate versatur, indigena, vel peregrinus, jussis Majestatis obsequi tenetur. Civilis enim societatis statui, unde morale verum ex necessariis ejus notis inter socios descendit (§. 267.), repugnare non potest quisquis gentis cujusdam

---

(1) *Orat. contra Timarchum.*

(2) *A. IV.*

territorium ingreditur: et gens ipsa non alia conditione, quam sine publici ordinis incommodo, exteros in sua recipere intelligitur. Sed imperii exercitium aliter in Monarchia, aliter in Aristocratia, et Democratia, sese prodit: quod probe noscendum jam est.

§. 287. In Monarchia omnia Monarchæ auctoritate geruntur, qui licet alios in consilium adhibeat, eorum sententias tamen sequi non cogitur; cumque in rebus, quæ ad publicam causam pertineant, civitatis mens per summum imperium explicetur (§. 270.), patet Principis voluntatem in rebus publicis pro populi voluntate quoad alias gentes habendam, et contra actiones paucorum de populo, Principe dissentiente, aut ignorante, nec Monarchæ, nec civitati, sed auctoribus singulis etiam externe imputandas. *Etiam externe*, inquam, divino enim judicio quemque premit malitia sua. Nullum majestatis jus regulari hac reipublicæ forma est, quod a Principe non pendeat: qui summo imperio rite fungetur, si populi salute, et felicitate nil an-

tiquius habeat; hoc enim naturæ legis Auctor imperii proprium statuit (§§. 219. 223.).

§. 288. In Aristocratia Optimates, seu patricii viri, summum imperium communi sententia exercent. Hic igitur ea civitatis voluntas habebitur, in quam Patriciorum Collegium consenserit. Jamvero ut collegii hujus sententia innotescat, opus erit conventibus statis, vel indictis, ubi Optimates suffragiorum ope voluntatem suam de re publica valeant aperire. Ex collatione suffragiorum collegii sententia eruitur. Cujus collationis peragendæ non una ratio est, quia ex peculiaribus collegii cujusque statutis pendet. Illud tamen quam naturale, Optimates, ne respublica in suspenso hæreat, propriam voluntatem, in re quidem civilis imperii propria, majorum suffragio conformare debere; tametsi, ne paucorum voluntatis prævalentia gravissimæ res absolvantur, justissimum sit suffragiorum pluralitatem largiori quadam mensura statuere, ut de perplexa aliqua re conclusio habeatur.

§. 289. Generatim statuendum, majora suffragia minoribus præferri : paria nihil concludere, nisi pacto cuidam ex sociis sententiæ prærogativa tributa, aut talis res sit, in qua calculus Minervæ adhiberi possit. Hoc in judiciis criminalibus contingit. In pari enim judicum accusatum absolventium, et condemnantium numero, cum nihil conclusum sit, postulati status immutandus non est : quod jus quum Minerva in Orestis judicio probasset, perpetuum inter homines deinceps futurum eamdem prædixisse fingit Euripides his versibus :

Et ceteris lex ista promulgabitur,
Ut usque paribus calculis vincat reus (1) :

unde rei nomen factum est.

§. 290. Democratica civitate imperium penes Populum est : quæ igitur populi, ea-

(1) *Ephigen. Taur.* v. 1268.

dem civitatis voluntas erit. Sed populi voluntas in comitiis suffragiorum ope manifestatur. Ergo hic quoque certus debet esse locus quo populus conveniat, et de negotiis publicis in medium consulat. Ne autem cujusque jura lædantur, neve publica felicitas et salus impediatur, necessarium est, comitia stata, vel indicta esse; eisque interveniendi copiam omnibus fieri; et ratum haberi quod populus sive curiatim, sive tributim, sive viritim pluribus suffragiis decreverit.

§. 291. Modus quo subjectum imperii determinetur, et perpetuo in civitate maneat, generatim legitimum factum esse debet (§. 222.). Jamvero factum hoc legitimum quod imperii subjectum determinet, et perpetuo servet in civitate, *Electione*: ad quam etiam *justam deditionem* aliquo sensu referre poteris: et *Successione* maxime constat. Hinc imperia *electiva*, et *successiva* oriuntur: quæ distinctio licet in Aristocratias, et quoddammodo in Democratias quadret, uti ob-

servat Heineccius (1) ; præcipue tamen in Monarchiis spectatur.

§. 292. Regnum itaque vel *Electivum*, vel *Hereditarium*, vel *Successorium* est. Si quoties summum imperium cessare contingat, populo, vel aliis jus sit novum gentis rectorem eligere, regnum, seu imperium *electivum* dicitur. Si contra fundamentali lege jus regnandi collatum sit ei, qui juxta communis juris regulas imperanti in bona succederet, regnum *hereditarium* vocatur. Si vero peculiaris ordo succedendi in imperium eadem lege statutus fuerit, *successorium* regnum appellatur.

§. 293. In imperio electivo imperandi jure is potietur qui ab iis, quibus jus est, rite electus fuerit. Necessario hac imperii forma tempus quoddam occurrit, quo civitas ordinario regimine destituatur. Hic reipublicæ imperante suo viduatæ status *Interregnum* vocatur : de quo disputant nonnulli, an ci-

---

(1) *Inst. I. IV. et G. lib. II.* §. 139.

vilis status, et quæ forma dici debeat. Sed civilem societatem manere apertissimum est ex totius gentis facto, quæ de novo eligendo imperante consulit. Forma vero, pro temporaria reipublicæ administratione, quæ aut tunc excogitata, aut statuta jam sit, determinari poterit.

§. 294. Regna hereditaria, utut juris communis regulis adstricta, peculiaris tamen succedendi modus pro rei conditione in his aliquando occurrit, qui hereditatem hanc a ceteris distinguit. Hinc etsi communi gentis jure nulla ætatis, puta, prærogativa in successionibus statuta sit, in regiis successionibus tamen primogenituræ jus obtinet; quando saluti publicæ, cui imperium paratum, regni divisio adversa est, quæ potestatis vires imminuit, et discordiarum causam inter imperantes præbet. Sed hæc persequi illorum est, qui Juris Publici distinctam disciplinam instituerunt.

§. 295. Sucessoria regna plura, quando in his varius succedendi modus passim occurrit. Sed cultiorum gentium moribus,

et legibus vulgo recepta successio quædam expeditior ad salebrosas quæstiones de graduum proximitate declinandas, quæ *linealis* dicta; cujus ea ratio est, ut liberi a primo Rege profecti totidem lineas perpendiculares constituant: nempe, Primogenitus primam, Secundogenitus secundam, Tertiogenitus tertiam, et sic deinceps: et quamdiu ex prima linea aliquis supersit, is in infinitum ceteros in reliquis lineis, licet proximiores, excludat. Linea vero Primogeniti extincta, primus ex linea secunda succedit, quamvis in tertia aliquis stipiti gradu propinquior reperiatur.

§. 296. Linealis autem successionis species tres præcipue recensentur, *Agnatica*, *Cognatica*, *et Mixta*. Prima, quæ et *Francica* dicitur, quia apud Francos recepta: ex lege Salica, an ex veteri more certant viri docti: feminas, eorumque descendentes in perpetuum excludit. Cognatica, quæ et *Castellana* vocatur, feminas in quaque linea, masculis deficientibus, admittit. Mixta tandem, quæ *Narbonensis* etiam nuncupata,

feminas, nisi defecerint masculi cujusque lineæ, non admittit. Hæ usitatiores successiones, quas generatim novisse hic sufficiat. Cetera quæ de his quæri possint a Juris Publici universi scriptoribus petenda, quibus hanc spartam exornandam relinquimus.



CAPUT III.

De Jure Gentium

§. 297. *De actionibus Gentium disserere nefas* (optime Lampredius (1) , et quemquam ratio ipsa monet) , *nisi prius intelligatur* , *quo pacto Gens* , *Populus*, *Natio constituatur* , *qua via voluntatem exerat* , *agat* , *et qua ratione ipsi actiones imputentur* : *ea omnia in jure gentium exponantur necesse est.* – Hæc nos binis capitibus , quæ præcesserunt , universa conclusimus; quibus expeditis , præstat jam ad populorum legem , hoc est , Jus gentium descendere.

§. 298. Veteres juris nostri scriptores jus gentium a publico non distinguebant , sed jura et officia e civili statu manantia

---

(1) *Jur. N. et G. Theorem. Prooem.* §. 6.

universe persequebantur. Placuit postea distinctam juris publici disciplinam instituere, scriptorum potius commodo, quam re: quod tractationis nexus ostendit (§. 297.). Nempe in gente ipsa distingui potuit, quid jurium, et obligationum inter summum imperium, et subditos, civesque inter se, seu inter civitatem, et partes esset, a juribus, et obligationibus, quæ gentibus veluti personis moralibus in humana communitate spectatis incumbunt. Illa *juris publici*: hæc *juris gentium* nomine accepimus. Nostro itaque servientes instituto, gentes instar humani individui, seu ut personas morales tantum hic considerabimus: quæ consideratio nunc propria juris gentium est.

§. 299. Quacumque vitæ conditione hominem degentem attendas, morales ejusdem relationes cum supremo rerum ordine a mente divina statuto ubique reperias. Hæ donec humana natura, et divinum consilium maneant, perpetuo stabunt (§. 46.). Hinc illud morale verum est, necessarium, et universæ naturæ legis fundamentum (§. 39.).

At enim gentes *hominum* cœtus sunt (§. 262.). Et personis igitur moralibus hujusmodi, quas gentes dicimus, eædem illæ relationes ascribendæ sunt. Reque vera, nationes maxime coactæ, ut homines naturales fines suos melius tutiusque consequerentur (§§. 266. 267.).

§. 300. Civili societate igitur constituta, summa naturæ lex non immutata, sed potius confirmata fuit. Verum, quando non eadem ratione segreges Patresfamilias, ac nationes agunt; nec idem pariter inter gentes actiones imputandi modus, ac inter privatas personas deprehenditur: unde etiam solemniora gentium, quam familiarum, singulorumque hominum se defendendi, vel cum aliis paciscendi jura explicantur: inde factum ut hæc naturalis jurisprudentiæ pars, quæ justitiam in populis moderatur, *Jus Gentium* diceretur, quod optime definiri poterit: - *ipsum naturæ Jus Gentium statui, et negociis accommodatum.* -

§. 301. Fundamentum itaque Juris gentium idem quod juris naturalis est. Quare

Jus gentium, et *universale*, et *necessarium*, et *immutabile* noscendum (§. 40.). Grotio tamen placuit (1) præter hoc jus gentium naturale, et necessarium, aliud *voluntarium*, et humanum statuere, ex omnium vel cultiorum gentium moribus, et institutis depromptum. Alii et *pactitium*, seu conventionale jus gentium adjungunt (2). Sed hæc aut falso, aut certe minus proprie dicuntur.

§. 302. Nam populorum mores, et instituta, qua gentium facta sunt, alias nationes sui juris afficere non possunt. Quare, vel hæc cum recta humanæ naturæ constitutione consentiunt, vel non. Si primum, non a voluntario, sed a naturali gentium jure illorum vis derivanda: si alterum, nec gentium plurimarum usu unquam illa licita evadant: tantum abest ut inde obligatio in ceteras nationes descendat. Sane piraticam artem, aut

---

(1) *I. B. et P. I.* 1. 14.
(2) Wattel. *Prooem. ad I. G.* §; 24.

obsides occidendi morem nemo ex eo defendet, quod passim apud generosas nationes alteram sine dedecore, immo cum laude usurpatam, alterum secutum antiquitus fuisse didicerit. Atque ita semper ad necessarium gentium jus, cujus nempe auctor Deus sit, respiciendum, ut lex habeatur, quæ liberas gentes obstringat. Consensus igitur gentium, maxime si universalis sit, bene argumentum, nunquam vero fons naturalis juris habendus est.

§. 303. Nec illud metuendum, ne voluntario jure hoc repudiato, plura sint, quæ a gentibus aut omitti, aut servari universe expediat, quorum tamen ratio a necessario populorum jure peti non possit. Nam eadem illa, quæ huc referri solent, *Repræsaliarum*, puta, *jus*, *ne venenatis armis in hostes uti liceat*, *Legatorum sanctitas*, vel a gentis natura, vel a summo necessitatis jure, vel a proba constitutione socialitatis humanæ percommode deducentur, quin ad arbitrarium gentium jus confugere oporteat, uti suis locis demonstrabimus.

§. 304. *Conventionale* jus gentium, quod vocant, universalis jurisprudentiæ partem certe non constituit, quando a gentium pactis exoritur, quæ, ut cuilibet notum est, paciscentium personas non egrediuntur. Inter eas nationes tamen, quibus aliquid vicissim sibi spondere placuit, conventa servanda et necessario gentium jure, quo promissa implere præceptum est. Inde fortasse juris gentium nomen conventionibus hujusmodi tributum, quod mutare non expedit, quando usu receptum est ad quæstiones nonnullas inter nationes expediendas, puta, de commerciis, Legatis, aliisque, pactitii juris hujus rationem haberi.

§. 305. Jus gentium igitur, non secus ac naturæ lex (§. 300.), officia contineat oportet, quibus gentes erga Deum, seipsas, et alias fungi debeant: eaque pro rei conditione connata, vel hypothetica, perfecta, vel imperfecta: uti hæc omnia in naturæ jure explicavimus (§§. 45. 46.), et eodem ordine hic tradere aggredimur.

CAPUT IV.

De Officiis gentium erga Deum.

§. 306. Naturalis Religio iisdem principiis ubique constat. Oritur hæc ex absolutissima subjectione naturæ intelligentis sapientissimo, optimo Creatori, et Conservatori suo (§. 47.). Gentes hoc naturali *dependentiæ* statu per civile imperium, quo fruuntur, non excessere (§. 299.). Populi igitur Religionis officiis obstricti manent, quibus implendis obligatione pari, sed majori nisu, quam singuli homines, studere debent; quando major copia divinum cultum promovendi gentibus est.

§. 307. Sed primum, et maximum naturalis Religionis officium est Deum supra cetera amandi, ejusque gloriam promovendi: verbo, divinæ voluntati interna, vel externa revelatione manifestatæ lubentissime obsequendi (§. 53.). Gentes itaque, sive

civilia imperia, quæ gentis actionem exhibent (§§. 270. 287.), illud sedulo curent ne quid divinæ gloriæ, et voluntati contrarium legibus suis unquam sectentur: immo quo majoribus opibus præditæ sunt, sciant justum suarum virium usum ad summi Conditoris decus patefaciendum cum universitate naturæ (§. 41.) impensius referendum esse. Non igitur ferendi, qui vel præsentis utilitatis obtentu, vel ratione status, quam vocant, vel tandem virium jactantia, civilia imperia in Deum ipsum, unde manarunt (§§. 220. 267.), Titanum more extollunt: quod de Hobbesio a Francisco Buddeo eleganter animadversum audivimus (Prol. §. 18.). Quam eximia, et humanæ naturæ omnino consentanea sacri Codicis effata sunt! - *Hæc dicit Dominus. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis* (1). - *Non est sapientia, non*

---

(1) Jerem. *IX*, 23.

est prudentia , *non est consilium contra Dominum* (1).

§. 308. Jamvero Christiani omnes didicimus , quæ de Ecclesiastica potestate circa res sacras , atque divinas a summo Servatore nostro constituta sunt(2). Gentes itaque, quæ divinæ Revelationis factum non inficiantur , officiis in Deum aperte deerunt , si quid juris in Religionis res contra divinam voluntatem sibi usurpent ; satisfacient vero, si ea quæ ab Ecclesiastica potestate definita sunt, suis viribus adjuvent , defendant. *Jus* igitur *in sacra* , quod Protestantes scriptores civili imperio addicunt , divino cultui adversum. *Advocatiæ* contra , seu *Protectionis* jus , quod vocant , (melius officium dicerent) consentaneum plane noscendum est. Primum enim in divinam voluntatem recta offendit , quæ sacrum principatum a civili , ordine , fine , ac mediis distinctum , in Ecclesia constituit:

---

(1) Prov. *XXI.* 30.

(2) *Matth. XVI.* 19. *Joan. XXI.* 15. *Matth. XVIII.* 18. *Joan. XX.* 23.

uti hæc omnia in Jure Publico Ecclesiastico late demonstrantur: alterum vero, si intra meræ defensionis limites, uti debet, stet, nec Ecclesiæ, quam tuendam suscipit, libertatem vel minimum turbet, divinæ institutioni perbelle respondeat, juxta illud Augustini (1) - *Pertinet hoc ad Reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam.* -

§. 309. Hæc in statu Religionis Christianæ omnibus probari debent ex ipsa recta ratione, unde hypothetica officia cognoscimus. Sed ex universa natura penitus illorum error evellendus, qui vel latissimum quoddam *autonomiæ*, hoc est, independentiæ, et libertatis *jus* in Religionis negotio jactant, vel divinum cultum gentium politicæ obnoxium reddunt. Hi Religionem omnem funditus evertunt, quando divinus cultus nullus erit, si eo non ad summum naturæ Conditorem honorandum, sed ad commoda nostra

---

(1) *Tract. in Joan.* 11.

procuranda utamur. Reque vera, si sibimetipsis Politicistæ constare velint, impie cum Macchiavello doceant oportet, pro ratione status, si hæc unquam veræ pietati contraria esse posset: quod cogitare nefas: absurdam etiam Religionem quandoque retinendam immo promovendam esse: quod divino cultui a naturæ lege præcepto (§. 47.) plane adversatur (§. 56.). Autonomiæ autem jus internum in Religionis officiis nullum est; quando officia hæc, prout Deum afficiunt, non ex naturæ æqualitate, sed ex necessaria dependentia hominis a supremo Numine universa proficiscuntur. Non igitur cuiquam concessum est, Deum, ut sibi libuerit, colere, sed cultus ad Dei voluntatem ex divinæ naturæ investigatione omnino referendus est (§. 48.). De externo vero autonomiæ jure in religiosa re sua servanda, quod gentibus ascribitur, non hic dicendi locus, ubi gentium officia quæ Deum, non quæ alias nationes respiciunt, explicamus. Non igitur quid impune inter homines fieri, aut omitti

possit (quæ externi juris natura est (§.30.), sed quid summo naturæ Conditori a gentibus debeatur, hic inquirendum. Naturæ autem præceptum est universale divinam voluntatem, si quæ certo hominibus patefacta sit, promptissime amplectendi (§. 53.): quod in Christiana Religione evenisse et Theologi, et Philosophi jamdiu demonstrarunt (2).

---

(2) Consulendi Hugo Grotius *de veritate Religionis Christianae*, Houttevillus *la Religion Chretienne prouvé par les faits*, Valsecchius *dei fondamenti della Religione, e dei fonti dell' empietà*, Storchenaus *Theolog. Nat. Sect. IV. Cap. IV.*

CAPUT V.

De Officiis gentium erga seipsas.

§. 310. Genti etiam, quippe hominum consociationi (§. 299), suipsius conservatio, et perfectio naturali lege præcepta. Æternæ huic obligationi ex primigenio illo *philautiæ* statu (§. 57.) derivatæ, quæ homines ubique comitatur, nova tantum relatio per civilem statum inducta, ea nempe ratione, ut gente rite constituta, quisque naturali legi tutius meliusque satisfaceret: quod, ut vidimus, certa quadam hypothesi natura jubente (§. 266.), factum est. Ex quo illud necessario secutum, civitatis universæ felicitatem a singulorum commodis sejungi non posse.

§. 311. Conservari gentem noscimus dum ea civili consociatione sua, forma, dominatione, firma et integra stat. Perfectam civitatem habemus, cujus in potestate ea omnia sint, quæ civili proposito as-

sequendo inserviunt. Gens itaque civilibus jactata discordiis ad interitum vergit: quæ vero externis armis devicta alienum subit imperium, populi nomen et jura amittit, et nationis, cui addicitur, provincia evadit. Summa igitur conservationis lex gentibus cunctis officium imponit, ut mala hujusmodi ab se, qua vires suppetant, removeant.

§. 312. Sed hæc tanto melius gens caveat, quanto ad finem suum consequendum instructior sit: quo perfectio spectat, quæ ut Zallinger scripsit (1), nihil est aliud, *nisi major quidam conservationis gradus*. Securitas, et felicitas publica civitatum finis (§. 268.). In id igitur gentes sedulo incumbant, ut injuriæ metu sublato, bonorum, quorum per naturam capaces sint, copiam, sibi comparent. Hoc autem qua ratione quaque in gente effici possit, ars politica disquirit, cujus præcepta de re publica recte constituenda, servanda, augendaque sunt: quæ

---

(1) *J. N. et G.* §. *CCLXXIII.*

tamen a naturali justitia discrepare non possunt (Prol. §. 4.). Nobis sat erit publicæ perfectionis objecta juxta naturæ ordinem breviter attingere.

§. 313. Secura civitas quæ injurias propulsare potest. Injuriæ a suis, vel ab exteris pertimescendæ: illas legibus, et coercitionibus, quæ nullum ex civibus alios impune lædere sinant: has armis repellere fas est. Gens igitur, quæ securitati suæ vere studeat, his omnibus se muniat necesse est. sed gentis decernendi, agendique vis omnis in imperio stat (§. 268.). Et illud igitur sedulo genti providendum, ne quid ipsa de libera majestate sua in aliarum gentium gratiam remittat, nisi eadem conservationis suæ ratio aliter suadeat; tunc enim imminutum potius, quam nullum imperium servare satius est. Ita Carthaginienses altero bello punico pene consumpti pacem quæsivere fœdere, quo inter alia cautum est, ne Carthaginieneses bellum sive in Africa, sive extra Africam, *injussu Populi Romani gererent* (1).

(1) Livius *lib.* XXX.

Ab his tamen longe secernenda fœdera illa, per quæ populus aliquis infirmior potentiori accedit, eique reverentiam, aut operam, vel pecuniam promittit, ut inde hujus ope contra injurias securus sit: quo referenda pacta illa publica *Protectionis*, *Advocatiœ armatae*, *Mundiburdii*, hoc est, tutelæ, et si quæ alia appellata. Hæc enim potentiæ opinionem forsan, at non imperium gentis imminuunt, cui immo tuendo quæruntur. An autem infirmitatem suam, et quibus aperire expediat, Politicus viderit. Naturalis certe lex est, indigentiam suam aliorum auxiliis levare.

§. 314. Salutem publicam, quæ suprema gentis lex est, felicitas sequitur, quæ et ad populum, et ad singulos referri debet. Divina enim voluntas fuit, quæ ad generis humani conservationem, et bonum nationes cogi, et perfici jussit (§. 310.): genti autem, et singulis aliud bonum esse nequit, nisi quod divinæ legi conforme sit (§. 61.). Bonis igitur gens florebit, ubi cives felices, quantum caduca hæc patiantur, vivant: et ibi cives beatiores erunt, ubi civitas perfe-

ctior sit. Ita necessario nexu publica cum privata causa perpetuo conspirat.

§. 315. Quare gentis officia de interna perfectione sua procuranda his duobus constabunt omnia 1. Ne cui præter publicam causam ad sui perfectionem comparandam impedimenta parentur 2. Ut major, quæ fieri possit, publica copia promoveatur, eorum ex quibus humana felicitas efficitur. Primum officiorum genus negativum est, quod nullo non tempore vim suam exerit (§. 29.). Affirmativum alterum, quod data opportunitate a gente negligi, sine communis finis desertione, non potest.

§. 316. Jamvero quæ privatæ, eadem publicæ felicitatis elementa: *animi*, *nempe*, *corporis*, *externaque bona* sunt (§. 58.); felicitas enim hominum, intelligentis naturæ finibus perpetuo respondet. Et hæc igitur gentibus pro civili statu suo curanda, promovendaque sunt. Singula jam brevissime expediamus.

§. 317. Animorum perfectio institutioni maxime debetur. Probe id novit Plato quum

scripsit (1) - *Animi præstantissimo ingenio præditi, si male fuerint educati, pessimi fiunt*. - Prima hominum conformatio parentum sollicitudini natura concredita est (§. 246.). Judicio perfecto, homines in iis, quæ ad æternam ipsorum beatitatem consequendam pertinent, moderari, illorum tantum esse poterit, quibus id muneris a Deo ipso expresse datum sit. Nulla enim humana vis concipi potest, cui alius homo in naturalis finis sui consequendi, præstantissimæque obligationis explendæ judicio cedere debeat. Quæ vero vitæ usus, et commoda, gentisque universæ tutelam promoveant, publicæ curæ maxime commissa sunt. Hinc triplex institutio exurgit *Domestica*, *Religiosa*, et *Civilis*: circa quas gentium officium naturæ convenienter versari debet.

§. 318. Gens itaque nec domesticæ, nec Religiosæ disciplinæ impedimenta constituat; sed contra utrique vires suas adjungat, tum

---

(1) *De Rep. lib. VI.*

juribus, auxiliisque parentibus, sacrarumque rerum cultoribus datis, quibus hi præcepta sua melius curent: tum civilibus legibus, quæ non modo moribus, Religionique contrarium nihil exhibeant, sed immo ipsis audiumento sint. Notum enim est civile populorum jus in gentium mores non leviter influere. Si qui vero parentes, officii sui plane immemores, liberos abiiciant, vel perditum eant, aut in flagitia aperte impellant, gentis partes erunt, civis sui institutionem curare (1). His ita servatis, et defensis, eo melius civili institutioni gens incumbet, disciplinarum, artiumque ad vitæ usus pertinentium magisteriis constitutis, promotis, decoratisque, quibus naturæ facultates, et vires deteguntur, perficiuntur ita, ut inde publicæ privatæque rei adjumenta, commoda, necnon præsidia haurire fas sit. (2)

---

(1) Vid. *Leg: Ult. ff. Si a par. q. manum. f. L. Si lenones* 13. *Cod. de Ep. Aud.*

(2) Vide legem S. M. Pontificis Pii VII. *Prid. Nonas Julii Anno MDCCCXVI.* latam art. 247. 248. ubi publicæ institutionis præstantia, et obiecta indicantur.

E barbarie enim dessidia, morumque ferocitas scatent, quæ uti doctiorum gentium aggressionibus propulsandis ineptæ, ita civilium malorum fontes uberrimi sunt.

§. 319. Civium *vitæ*, *incolumitatique* publica securitate parata (§. 313.) consultum. *Valetudo* autem, quæ magnum corporis bonum est, maxime privato cujusque se tuendi studio relicta (1) (§. 66.). Gentis tamen officium manet de iis curam agere, quæ populi sanitatem universe respiciant: cujusmodi sunt, *aer*, *aquæ*, *cibus*, et *medicina*. Princeps causa aeris esse debet, - *cujus*, ut Hyppocrates loquitur (2), *tanta est necessitas, ut si omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies tres, vel plures vivere: si vero spiritus viæ in corpore intercipiantur, brevi tempore illi sit pereundum.* - Quare si urbs nova excitanda sit, cura gentis erit locum ad id se-

(1) Vide Plutarchum *de tuenda sanitate Praecepta*, et Fridericum Hoffmannum *Diss. de Med. suipsius.*

(2) *Lib. de Flat.* §. 6.

ligere, qui liberiori, et temperato aeri pateat; hæc enim cœli temperies et natura fibrarum robori, et decenti fluidorum motui commodissima est. In locis autem, quæ occupata jam sunt, danda opera est, ut aeris salubritati, quantum fieri possit, prospiciatur, paludibus exsiccatis, ceterisque provisis, quæ æteris sinceritati, ac defæcationi inserviant. Succedunt aquæ, naturale maxime potus genus, quo uno prisca ætas usa, diutissime, et sanissime vixit. Hinc illa Romanorum cura merito commendanda, imitandaque est, qua saluberrimas aquas civitati suæ compararunt aquarum ductibus, qui posteritati universæ admirationi essent (1). Deinde quæ in civitate venalia habentur obsonia diligenter inspicienda sunt, repudiandaque illa, quæ corrupta, sanitatique aperte contraria reperiantur, severis pœnis in illos statutis, qui aliorum valetudinem, et vitam lucro sibi iniquissime apponunt. Postremo universæ

(1) Vide Frontinum *de Aquaeductibus*,

medicinæ, per quam morbi præcaventur, pelluntur, minuunturque, progressus juvandi; et sedulo prospiciendum, ne sacrum hoc medendi munus, beneficum quippe miseriæ humanæ levamen a Deo largitum (1), nativo suo decore unquam spolietur.

§. 320. Sed quæ vitæ sustentandæ necessitas hominem urget (§. 103.), acrius universam gentem premit, cui pro diverso civium more largior etiam bonorum copia comparanda est. Hinc gentis officium sequitur de *externis rebus* curandis, quibus commoda vita in civitate duci possit. Divitiæ ex industria quærendæ. Quid terra fertilius? et tamen nisi eam *assiduis insectabere rastris*, ut canit Poeta(2),

Heu! magnum alterius nequidquam spectabis acervum,
Concussaque famem in sylvis solabere quercu.

---

(1) Ecclesiastici XXXVIII. 4.
(2) Georg. *I. v.* 155.

Ignavia igitur publicæ miseriæ fons, quam gens insectari debet legibus suis cavendo, ne segnes inertesque inter cives sint, quibus dessidia ipsa lucro cedat. Ex quo Ægyptiorum (1), Solonis (2), ac Sinensium (3) leges, quæ in otiosos animadvertebant, summopere commendatæ.

§. 321. Inertia profligata, latam industriæ materiem artes suppeditabunt, tum illæ quæ bona e naturæ sinu primum divellunt, et humanæ vitæ opportunitatibus obiiciunt, *fundamentales* vocatæ, *venatio*, *piscatio*, *pecudum cura*, *agricolatio*, *metallurgica* :tum illæ, quæ reperta perficiunt, hominumque usibus, et commoditati solerter attemperant, *secundariæ*, perfectricesque appellatæ, artes, puta, *textoriæ*, *fulloniæ*, *architectonicæ*, *fabriles*. Suus cuique arti, bonorum quippe causæ, honos est; sed non omnis industriæ utilitas par. Publica igitur cura e-

(1) Diod. Sic. *lib. I.*

(2) Plutarchus *Solone*

(3) Martinus Martinius *H. S.*

rit laboris studium cunctis laudi dare; utiliores autem, operosioresque artes majori gratia donare. Quod ut gens efficiat, civium suorum numerum, ingenium, vires, regionis, quam incolit, fœcunditatem, locorum habitus, opportunitatesque calleat oportet. His enim perlustratis, facillimum erit industriæ genus cognoscere, quod civitati plurimum expediat, et illuc civium conatus, propositis præmiis, intendere.

§. 322. At industriæ pars, et utilitas maxima in *commercio* est, per quod homines res, operasque inter se alio dato, vel accepto, communicant (§. 158.). Commercium *internum*, vel *externum* est. Illud provincia cum provincia, familia cum familia nationis ejusdem: hoc gens cum altera gente exercet. Interno commercio perfecta civitas carere non potest, ut per se patet; nisi fingere velis universum populum cum Rectore suo in positiva bonorum communione degentem (§. 107.): quod de campestribus Scithis cœcinit Hora-

tius (1): de quibus tamen historicus Justinus tradit (2) - *Hominibus inter se nulli fines; neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut sedes, aut tectum est*. - Gentibus igitur internum commercium, veluti communium utilitatum vehiculum, curare, juvare, defendere naturali lege præceptum est.

§. 323. Externo autem commercio gens carere poterit, si ex se habeat omnia, quæ vitæ commoditati apte sufficiant. At si indigenæ opes deficiant, vel redundent, externi commercii usus est. Prima enim hypothesi: quæ communior est, juxta notissima illa

Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Convenit, hæc oleis: hic bene farra virent (3).

ab aliis quæ desunt comparanda; altera vero, quæ supersunt exportanda, ne eorum nimia copia, ubi lucri spes ex commerciis

---

(1) Horatius *Carm. III. Od.* 24.
(2) *Hist. lib. II. Cap.* 2.
(3) Adde Virgilium *Georg. I. v.* 54.

externis non appareat, gentis industriam obtundat, civesque ad segnitiem alliciat, qua vel naturales opes exarescunt (§. 320.). Ad hoc, quo gens dives dici possit pecuniam quoque habeat oportet, quæ et permutationibus expediendis inserviat (§. 160.), et rempublicam in tempore tueri valeat: at enim pecuniæ, hoc est, auri, et argenti vis, nonnisi ex venditione suarum mercium genti speranda. Hinc externi commercii præstantia elucet; cujus triplex genus ex dictis notandum jam est, *Æquale*, *Activum*, *Passivum*. Primo merces cum mercibus: altero merces cum externa pecunia: tertio pecunia nostra cum mercibus permutatur. Æqualis commercii status, æquilibrii est, utilitatibus socialiter communicatis, quod spernendum non est: *Activum* commercium potentiæ, divitiarumque causa: *passivum* contra, pecuniæ hirudo, et indigenæ industriæ pernicies. Illud igitur curare, hoc fugere, quantum datum sit, gentis officium est.

§. 324. De *existimatione*, et gloria gentis vix loquor; si enim hæc, ut bellissime

Tullius scripsit (1), - *Virtutem tamquam umbra sequitur*, - gentem etiam, quæ omnibus officiis suis rite satisfaciat, sequetur. Sane, si civitas et fortis, et bene morata, et divitiis affluens, qualem descripsimus, sit, non poterit ei non esse fides, sive *politica*, sive *moralis*, sive *mercatoria* quæ dicitur. Hinc nemo eam velut improbam traducat, contemnat, aut ejus majestatem ludibrio habeat: quæ *simplici existimationi* contraria essent (§. 277.); sed contra ceteræ nationes ei faveant, auxilia ferant, necnon distincta honoris signa ultro spondeant: quod justum *intensivæ existimationis* fundamentum inter æquales est (§§. 279. et 69.). Hæc igitur bonæ famæ commoda non levia momentum ad officia sua probe obeunda gentibus afferant, easque doceant externas contumelias, et criminationes falsas convenienti ratione dispellere.

§. 325. Ex his satis, opinor, obligationum summa perspecta, quas natura gen-

---

(1) *Tusculan. I.*

tibus imponit. Sed ubi naturalis obligatio est, ibi semper legitima facultas est ea curandi sine quibus obligatio ipsa impleri nequeat (§. 70.). Gentibus igitur non secus ac segregibus familiis connata jura sunt, quæ in *conservatione*, *et perfectione sui* consistunt, quæque naturæ lege per publicum imperium in civitate explicantur (§. 267.).



CAPUT VI.

De officiis Gentium erga alias.

§. 326. Nationes partes humani generis sunt: sed humano generi universo sociabilitatis status a Deo impositus est (§§. 14. 71. 72.): gentes igitur inter se natura sociales. Et gentibus itaque universales illæ naturæ regulæ servandæ - *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: Quod tibi vis fieri fac et alteri*: - unde omnis sociabilitas pendet. His enim et *injuriæ*, quod perfecti officii est, amoventur, et beneficentia provocatur, quæ socialitatis præstantiam, et utilitatem vere maximam continet. Singula jam pro gentium statu exequamur.

§. 327. Perfecta gentium officia e perfectis earum juribus petenda; hæc enim lædere *injuria* est (§. 75.). Connata hujusmodi jura (de hypotheticis enim postea dicemus) jam novimus, gentis cujusque nimirum *con-*

servationem, et *perfectionem*, quarum partes nuper expressimus (Cap. præced.); quibus e primigenio sociabilitatis statu nunc adjungenda *æqualitas*, unde *independentia* procedit, et *securitas*, quæ *defensionis*, *cautionis*, et *indemnitatis jura* complectitur (confer §. 77.). Injusta igitur natio, quæ in aliena civitate *turbas*, *seditionesque concitet*, auxiliisve datis *adjuvet*: *homines subtrahat*, aut *milites* inscio summo imperio *conquirat*: quæ alterius gentis *mores*, *disciplinas* erroribus, vitiorumque irritamentis data opera insinuatis *corrumpat*: publicæ *sanitati* clancularíis artibus *officiat*: *industriam avertat*, *commercia* recta *impediat*: *existimationem* tandem, et *gloriam contumeliis*, *calumniisque aggrediatur*: quæ omnia conservationis, perfectionisque juri, quo unaquæque gens gaudet, contraria sunt. Reliqua gentium jura læderet illa natio, quæ excellentioris sapientiæ, aut potentiæ suæ opinione elata: quod veterum Græcorum, Romanorumque vitium fuit: alias omnes, ceu barbaras despiceret, in easque *honoris præ-*

rogativam, conventione remota, *vi usurparet* (§. 59); quæ a summa potestate non requisita *administrationi alterius reipublicæ sese immisceret*: quæ tandem injustis armis alienam *securitatem*, vel ipsa *impeteret*, vel ab aliis *læsam restitui vetaret*.

§. 328. Sed *quantulum est*, optime Seneca (1), *ei non nocere*, *cui prodesse debeas*? Sane huc sociabilitas, et naturalis illa benevolentia spectat, qua aliorum commoda non secus ac nostra promovere debemus (§. 73.). Nationes igitur mutua caritate, et ope altera ad alterius perfectionem, et felicitatem, quantum officia erga seipsas sinant, intendere debent (§. 326.). Hinc *humanitatis*, et *beneficentiæ* officia exurgunt, quibus socialis hominum vita universa continetur (confer §. 80.); quæ tamen vi ab aliis vindicare, necessitate remota, de qua postea, gentibus non licet. Humanitatem enim quod spectat, non semper exploratum est, an res,

---

(1) *Epist.* 95.

quæ petitur, revera *innoxiæ utilitatis* sit: ad hoc ratio quandoque subest, cur et humanitas ipsa intermitti debeat (eod. §. 80.): quorum omnium judicium domino, qui appareat, relinquendum est, nisi malimus hominum turbis, direptionibusque latissimam portam aperire. Beneficentia vero, cum incommodo conjuncta est, quod nec semper ferre possumus, nec etiam debemus (§. 70. ad 72.). De his autem judicium ferre connato *independentiæ jure* (§. 327.) unius gentis, quæ rogatur, est. Quæ cum alia ratione, et de gente, quæ indigeat, dici possint: cui indigentiæ suæ, rationisque eam sublevandi judicium æque liberum est: illud compertum, officia hujusmodi *imperfecta* esse, quæ nec vi extorquere, nec invitis obtrudere fas sit.

§. 329. Gentes igitur, ubi ipsis copia sit, pro aliis conservandis, juvandisque incommoda, molestias ne refugiant, sed primigeniæ sociabilitatis memores, legibus, imperio, sedibus licet discretæ, homines universos in mutuam benevolentiam, et opem

natos cogitent. Quamobrem si gens altera terræmotibus, incendiisve vastata, fame absumpta, aut injustis armis oppressa, propriis viribus destituta ad interitum properet, gentium reliquarum, et finitimarum præsertim, officium erit, infelicis hujus nationis calamitatibus, ope qua possint, occurrere, eamque servare. Nec perfectio aliarum gentium negligenda. Ita si qui populus barbariem exuere, artibus conformari cupiat, magistros, artificesque ei ne denegemus. Summum autem omnium beneficium præstabimus, si alias gentes ad verum Dei cultum amplectendum hortemur, in eamque rem sumptus suppeditemus, quibus sacri Ministri, quorum religiosa institutio est (§. 317.), munere quod *a Domino dominantium* eis datum didicimus Christiani (1) *nationes universas docendi* fungi valeant.

Ad extremum, bona, quæ natura per diversas mundi regiones, hominibus inter

---

(1) Matth. *XXVIII.* 19. Marci *XVI.* 13.

se devincendis consulto diffudit ope commercii utrinque suscepti, quantum quidem interna felicitas, et securitas ferat, communicanda cum aliis sunt. Non enim gens sui oblivisci debet, ut aliis opituletur. Immo si ex perversis alterius gentis moribus satis appareat eam non alia mente humanitatem, beneficentiamque nostram postulare, quam ut nobis vires subtrahat, naturales divitiarum, sustentationisque nostræ fontes avertat, reliquarum denique nationum independentiæ, securitatique officiat, ita beneficia moderanda erunt, ne quid detrimenti salus publica capiat, cujus summa in civitate lex est (§. 314.). Hoc autem qua ratione effici possit Politici doceant.

§. 330. Ex his de commerciorum jure inter gentes principia hæc statuenda sunt. Primum, jus ad commercia in specie, hoc est, cum certa alia gente ineunda, conventione remota, *imperfectum* esse natura. Unde illud est, gentem, quæ alterius commercia recuset, aut quæ sese alteri obstringat,

ut ei tantum certas merces vendat, vel ut commercia sua certis modis cohibeat, aliis injuriam non facere; de suo enim, non de alieno jure paciscitur. Alterum, jus ad commercia in genere, hoc est, legitimam facultatem cum aliis mercaturam exercendi, *perfectum* esse: et ob eam rem hoc ab alia gente sine injuria (§. 327.) prohiberi non posse. Ex universali autem commercii præstantia gentium omnium officium elucet, sedulam dare operam, ut mercatura commode, tuto, ac celeriter exerceatur; in eamque rem, viarum munitione, portuum cura, pontiumque subtructione, navigationis securitate, emporiis constitutis, aliisque, sumptus conferre.

§. 331. Hæc tamen gratis aliis exhibere gens non tenetur, ubi inopia petentium non sit (§. 85.): nec illud ferendum quemquam alterius jactura rem suam amplificare (§. 132.). Hinc gentibus injustum visum non fuit jura nonnulla in merces, quæ per fines suos transeant, sibi vindicare, et portoria dicere: nempe ut onera quæ ob commercia ipsæ ferrent, parta ex eisdem com-

merciis utilitate redimerent : quo referenda jura *Propolii* , *Stapulæ* , *Anchoragium* , *Portulanum* , vectigalia cetera , hisque adjunctum *Geranii* jus ; in quibus omnibus si quid injusti sit , non hoc in causa , sed in excessu noscendum ; quod gentes ut vitent , satius ducunt plerumque de juribus hisce inter se antea pacisci , ne postea inde inimicitiarum causa existat.

Ceterum gratiosa res mercatura iis , qui eam tractent , molesta fieri non debet . Ex hoc privilegia passim mercatoribus in aliena etiam ditione indulta , quæ violanda non sunt . Horum tutelæ , moribus gentium expolitis, *commercii Consules*, quos vocant , utrinque constitui placuit : quorum munus est privilegia civium suorum in alieno territorio mercaturam exercentium tueri , et inter eos mercaturæ causa exortas controversias ad patrii juris normam, rei veritate inspecta , cito dirimere. Hi sane , ut recepti fuerint , ratione officii sui a Principe loci non pendent, sed subditi manent illius , a quo constituti sunt, cui muneris sui

rationes reddere debent (§. 278.). In reliquis autem, quæ concreditum munus non respiciunt, ut peregrini habendi, nisi aliter conventum sit. Fatendum enim est e *pactitio* gentium jure, quod vocant (§. 304.), hæc maxime pendere.



CAPUT VII.

De gentium Dominio, et Officiis, quæ Inde exoriuntur.

§. 332. Quæ privati dominii invehendi ratio naturali jure probata (§. 106.), latius in gentibus pateat, quibus ut ampliores vires, quam familiis, sunt, ita major necessitas, ut se tueantur et perficiant, incumbit. Si populus ex familiis proprios agros jam possidentibus coaluit, quemadmodum universi patresfamilias communi vinculo devincti gentem (§. 262.), ita eorum possessiones simul junctæ gentis dominium exhibent. Si contra populum ipsum in vacua venientem concipias, ut sibi sedes constituat, ex occupationis facto gentis dominium recte dimetieris. Alterutrum ex his statuatur, semper occurret regio aliqua per universitatem occupata, in qua publici dominii, et impe-

rii jura nemine contradicente exerceantur, quæ gentis *Territorium* dicitur.

§. 333. Quidquid igitur intra territorii fines jacet natura, flumina, puta, lacus, stagna, sylvæ, sterilia, desertaque loca, humana industria licet non exercita, ubi peculiare jus non appareat, populi, cujus territorium est, dominio obnoxium noscendum. Propria hæc gentium occupatio traducitur, quasi ea dominium sine peculiari apprehensione, quæ in privatis alias necessaria (§. 108.), quæratur. Sed si pro patrefamilias occupante gentem veluti personam moralem substituas, noscas huic dominium per universum terræ tractum, finibus inclusum, eodem jure acquiri, quo illi totus ager sæpibus præcinctus natura addicitur, etsi internæ ejus partes seorsim occupatæ non sint (§. 111.). Ex hoc illa bonorum universitas efficitur, quæ ab alia gente, veluti alieni juris habenda est. Territorium vero diversius in gente ipsa partitur, unde rerum divisio in civitate petenda: quam sic universim complectimur.

§. 334. Principio profanas res omnes (de sacris enim, et ecclesiasticis loqui eorum est, qui sacri principatus jura exponunt §. 308. (1)), *proprias*, vel *communes* dicimus. Hæ occupantibus adhuc paratæ, vel promiscuo usu mortalibus concessæ (§. 109.): illæ alterius potestatis effectæ. Propriæ res non omnes ejusdem juris habentur; multiplex enim dominium est (§. 107.); easque in *publicas*, *universitatis*, et *singulorum* distinguimus. Et quæ civili imperio ad publicam causam addicta, *bona domanialia*, puta, gentis *ærarium* (§. 280.), et illa, quorum proprietas populi, usus omnium de populo est, *publica* dicimus: *universitatis* ea, quorum dominium societas quædam minor, usum ejusdem socii retinent. Quæ tandem in privato cujusque patrimonio habentur, quisquis ea possideat (2), *singulorum* et *privata* vocamus. In rebus publici usus, et universi-

(1) Confer Zallingerum *Jur. Publ. Eccl.* §. *CCCXCVII. a. b. c.*

(2) Vid. Ulpianum in *L.* 2. §. *Hoc interdictum* 4. *ff. Ne quid in loco pub. vel itin. fiat.*

tatis, intra populi, aut collegii fines utentium jus temperandum iisdem regulis, quas in primæva communione posuimus (§. 104.). Abusus vero, dominii, et imperii jure, quod est, prohiberi poterit. Privatæ res dominorum quidem propriæ, sed et hæ eminenti civili potestati ex natura gentis obnoxiæ (§§. 281. 282.).

§. 335. Sedulo itaque territorii fines notandi, ut gentis alterius dominium appareat (§. 333.). *Artificiales*, seu manu factos limites oculis dignoscere promptum est: at *naturalium* finium, quos, nempe, natura ipsa inter duos populos constituit, *flumina*, *lacus*, *paludes*, unde *arcifinium* territorium dicitur, distinctio non æque expedita. Exemplum esto in fluvio qui duo territoria disterminet. Sane, si constet unam gentem dominium terræ cum alluente flumine prius quam contermina gens ad alteram fluminis ripam accederet, sibi quæsivisse, vel si pacta inter limitrophos populos intercesserint: hic conventione, illic occupationis jure de fluminis dominio judicandum: at si utrumque desit, nobis vide-

tur utriusque territorii limites ad medium flumen, linea in directum per ipsum acta, protendendos esse. Aliud enim naturalis termini ratio non patitur, quum neutrius gentis potiora jura in flumine appareant. Si quid igitur per alluvionem, fluminisve reductionem, in arcifiniis territoriis mutatum sit, dominorum damno, vel lucro cedet: sique fluvius exarescat, alvei medietate gentium dominium, et imperium terminabitur (confer. §§. 112. 113.).

§. 336. Eadem de maris freto, aut sinu, quem diversi populi accolant, statuenda, si mare dominii capax sit, quod olim partium studiis maxime certatum est (1). Qui mare in alterius proprietatem ire posse negarunt e conditione rei, quæ inexhaustum usum habet, et permanentis adprehensionis impatiens est, argumenta duxere. Sed difficultates hæ commoda distinctione eliduntur. Principio vastus oceanus, immensa

(1) Vide Pufendorfium *J. N. et G. IV. V. V.* ibique Hertium *Nota* 2.

nempe illa aquarum congeries vastissimis spatiis recepta, terris fere abscondita: *qualis Yperboreus*, *Atlanticus*: a reliquo mari terras alicubi ambiente secernendus est. In illum dominium affectare ambitiosum sane, et injustum. Vix enim eum tenent aliquamdiu transeuntes, nec stabili quidem cursu, sed ventorum flatibus huc illuc rapti, nullo pristinæ detentionis suæ vestigio relicto. Vastissimi autem hujus æquoris usus, sive piscationem, sive navigationem respicias, inexhaustus est, unde ratio plane cessat, qua res primævæ communioni occupatione facta eripiatur (§. 109.). At in reliquo mari diversas ejus partes distinguere concessum est; sunt enim quæ a terra in altum porriguntur: quæ ad littora excurrunt: quæ tandem regiones obeunt, cunei, aut crateris instar effusæ *freta*, *sinus*, quas vocant. Generatim, continenti propius mare dominii, imperiique publici partem: altum, et a littoribus longe remotum promiscuo mortalium usui patere censemus.

§. 337. Nam de excelso mari eadem, quæ de oceano mox vidimus, manent; at in reliquis partibus, quas descripsimus, contraria omnia apparent. Has enim et navibus, et jactis molibus occupare gens potest: quod vidit Horatius cum cœcinit (1)

Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus.

Ad hoc, subest occupationis ratio ex emolumentis mari adjectis, animalibus puta, lapillisque, quæ angustiori hoc maris spatio exhaustum usum habent, necnon ex populi ipsius securitate, quæ promiscuo gentium appulsu lædi posset; quibus ex causis et rem, quæ ex se inexhausti usus esset, dominio subiici posse vidimus (§. 109.). Quatenus vero gentium dominium, et imperium præter littus in mare procurrat, diversius tra-

(1) *Carm. III. Od. I. v. 33.*

dunt scriptores (1). Natura ab accolæ gentis securitate hoc pendet. Prudentia, et usu expeditiori receptum est, maritimi populi jurisdictionem eo usque protendi, quo bellicis tormentis ad maris oras positis exteræ naves propulsari possint.

§. 338. Jam quæ territorialia gentium jura, respondentiaque officia dicenda ex imperii, dominiique publici (§. 333.) natura conjunctim appareat. *Primum* est advenas recipere, vel reiicere, qui, si invito summo imperio in alieno territorio sibi sedes quærant, injuria agent. Civitatis enim judicium est, an soli feracitas, vel advenarum mores, aliave novos habitatores hujusmodi adsciscì tuto posse suadeant. Idem de transitu, armatorum præsertim, necessitate remota (quam semper excipimus), sentiendum. Naufragis tamen, aliave calamitate perculsis littus ad

(1) Vide Bodinum *de Rep. lib. I. Cap.* 13. Albericum Gentilem *Advoc. Hisp. Cap.* 8. Loccenium *de Jure Maritimo Cap.* 4. §. *V.*

aliquod tempus invidendum non est. Ubi vero advenis sedes in territorio concessa sit, et *alterum* est, peregrinos veluti temporarios cives gentis, in quam recepti, habendos, locique legibus, quibus publicus ordo constet, obnoxios esse (§. 286.), necnon aliis, si quæ in ipsos latæ fuerint: quo referendum puto jus *Albinagii*, quo nempe exteri a successione defuncti civis, vel peregrini excluduntur, et in ejus bona Fiscus succedit: quæ si minus arrideant, discedendi facultas, nisi ex publica causa, eisdem non deneganda. In peregrino igitur, scilicet in eo, qui animo in patriam suam redeundi alibi commoratur, duplex civitas spectanda est: *temporaria*, in qua moratur, *perpetua*, a qua discessit rediturus; quarum jura bene componentur, si perpetuæ civitati jus civem suum revocandi semper maneat: interim vero a peregrino leges illius civitatis serventur, cujus in finibus aliquid agi, et absolvi oporteat.

§. 339. *Tertium* gentis territorio affixum jus habendum *justitiæ administratio*, cujus

causa civiles societates conflatæ sunt (§. 262.). Quamobrem si quid a peregrino in civitate contractum, peccatumve sit, loci jurisdictio erit, ni peculiare jus rei, aut personæ obstet (confer. §§. 331. et 334.), utrumque cognoscere, et vindicare. At si, crimine patrato, reus, indigena, vel peregrinus, ad aliam gentem aufugerit, alieni territorii jus servandum, nec armata manu eum persequi licet, sed comiter gens hæc roganda ut noxium reddat, vel pro merito puniat, vel ei saltem neget asylum. Si omnia recuset civitas, jam delinquentis causam amplectitur, justique belli causam læsæ genti præbebit. Hæc tamen intelligenda, ubi de criminis imputabilitate constet. Alias enim gens quælibet cives suos, vel temporarios, ab injusta vi recte defendet. Et quando connato independentiæ jure (§. 327.) liberum de hac re judicium gentibus est; ne crimina impunita, aut assidua bella essent, conventionali gentium jure passim receptum fuit, ut populi noxios, qui ad se aufugerint, ad deposcentis arbitrium sibi invicem redderent.

§. 340. Postremo dominii publici (§. 332.) consectaria sunt, civilis ditionis bona ex usu reipublicæ regere, et defendere. Quare si gens aliqua e re sua duxerit incultas quasdam terras intra fines suos habere, non inde aliis eas veluti vacuas occupandi potestas erit. Hinc etiam damna bonis alterius gentis civis data civitati quoque illata censentur: uti econtra injurias ab altera gente nobis irrogatas recte in civium bona, maxime ubi publica præsto non sint, persequimur; populi enim dominium semper impetimus. Ex hoc pariter civiles leges explicandæ, quæ bonorum acquisitioni, et translationi modum, et formam imponunt, quarum vis omnes qui bona in territorio sita, quibus leges hæ dici potuerunt, possideant, afficiet. Unde et ratio patet illius census, qui Fisco penditur pro bonis suis extra territorium exportandi, quem *tractam foraneam* vocant. Publico enim semper aliquid decedit, quidquid a gente in aliam transfertur.

Et hæc gentium propria evolvenda erant. Dominii usus in populis ex iis quæ de eo-

rum officiis supra diximus, noscendus. Reliquæ ex proprietatis natura manantes obligationes satis in Jure Naturæ explicatæ (Cap. IX.), quas repetere non attinet.



CAPUT VIII.

De favore Necessitatis inter gentes.

§. 341. Quæ Necessitatis vis in leges divinas, humanasque sit, partite explanatum jam fuit (*Lib. I. Cap. VII.*). Ostensum et ibi est e necessitate jura nonnulla in se, aliosque quandoque oriri, quæ cum necessitate ipsa cessarent (§§. 90. 91.). Idem in gentibus nunc explicandum, quantum quidem nationis indoles, et ratio publica officia a privatis discriminat (§. 300.).

§. 342. Publicæ necessitatis interna exempla dari possunt in desertione, et rejectione quorumdam civium, innocentium licet, ubi hoc uno rempublicam servare datum sit. Eadem enim naturæ lex, quæ genti sui conservationem præcipit (§. 310.), in extrema necessitate partem sui relinquere potius, quam seipsam perdere, suadeat. Miserabiles quidem deserti cives, at injusti

iidem, si gentis interitu calamitatem suam effugere vellent, quum contra boni civis officium sit publicam privatæ causæ constanter præferre. Ita fuso exercitu, dum nostros intra mœnia recipimus, et hostis jam instat, una cum fugientibus urbem invasurus, licebit utique portas claudere, etsi non omnes ex nostris in tutum pervenerint. Quod in re belli trepida pingit Virgilius

. . . . . Pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audet
Accipere orantes. (1)

Pariter si civitati extremum fatum immineat, ni innocuus quidam civis placandæ hostis iræ dedatur, genti jus erit, ne intereat, infelici huic civi effugiendi copiam primum offerre, postremo eum deserere, vel etiam expellere. Ex eadem causa imperii imminutio (§. 313.), provinciarumque alienatio æstimandæ sunt.

---

(1) Aeneid. *IX.* v. 584.

§. 343. Alios quod attinet, necessitatis vis exeritur, imperfecti officii extorsione, quæ alias vetita est (§. 328.). Propriæ conservationis lex diversius huc gentes impellit: graviora sequamur. Si famis improba vis populum premat, et alius huic justo pretio superfluam annonam suam vendere inhumaniter recuset, nec alia calamitatis levandæ via supersit, esurienti liceat, quæ sibi ad vitam sufficiant armata etiam manu comparare. Ex eadem ratione naves, plaustra, equos alterius gentis occupare, eisque uti fas erit, si eorum extrema necessitas occupanti populo, non æque domino sit; cui tamen pretium omne rependendum est: quod jus hispanica voce *embargo* (impedimentum, detentionem) appellant. Si feminarum inopia rarior jam populus, domi, forisque destitutus ad interitum properet, et conjugia ab externis incassum petat, poterit tandem renuentes armis compellere, ut sibi nubendi copia cum eorum feminis fiat. At invitas puellas ad conjugia rapere, hospitii, sacrorumque jure violato, necessitatis lege in Ro-

manis nunquam defendas (1). Innocuus transitus per alienas terras, sæpe genti cuidam salutem præstat : tempestatis vi jactatis littus ad calamitatem levandam solatium unum: ejectis tandem, quibus ad vacuas terras pergere non datur, locus, quo consistant, pro vita est. Si hæc negentur, infortunio hujusmodi vim exerere, qua necessitas pateat (§. 86.), repulsis liceat. Ubi vero postrema hypothesi in civitatem profugi recipiantur, gentis jus erit leges statuere, quibus recepti parere debeant (§. 338.).

---

(1) *Vid. Liv. lib. I.*

CAPUT IX.

De Jure Belli.

§. 344. Si quod alieni juris, necessitate imperante, arripere non injustum, quanto rectius ea quæ nostra sunt, exerta vi persequamur? Connatum hominis jus *securitas* gentibus adeo non decessit, ut contra socialibus studiis magis confirmatum sit (§. 327.). Quæ igitur segregibus familiis securitatis causa contra injustos invasores vis naturæ jure concessa (§. 93.), nationibus eo largius tribuenda, quanto gentis securitas majora complectitur. Hinc, primigenia sociabilitate tantisper intermissa, *status* subrepit aliquando, *quo gentes perfecta jura sua vi persequi coguntur*: qui *bellum* dicitur; cujus decernendi jus in civitate majestaticum est (§. 283.). Quare bellum publicum, de quo nos loquimur, non est nisi illud, quod expressa, aut tacita Principis auctoritate geratur.

§. 345. Si a necessitate vi sua protegendi bellicus gentium status exoritur, vel arcendæ, vel præcavendæ, vel reparandæ injuriæ causa bellum suscipi poterit; his enim connatum securitatis jus læditur (§. 83.). Hinc triplex bellorum genus exurgit, *defensivum*, *assecurativum*, et *reparativum*, quod juste prætendi valeat. Sed et illud in bello considerandum quantum acerbitatis ipsi certamini insit, quæ clades, incendia, vastationes, humanæque miseriæ inde erumpant. Ex quibus statuedum videtur injuriam non modo veram, quæ nempe perfectum alterius jus lædat (§. 74.), sed et cujusdam momenti requiri, quo gens læsa, et interna justitia, in alteram arma convertat: ad hoc, gravioris injuriæ reparandæ causa, non rite bellum inferri, nisi antea eorum, quæ nationi ab altera debentur, publica apud ejus Principem voce, aut scripto facta repetitio præcesserit: quæ *clarigatio* vocatur. Tunc enim ex obfirmato injustæ gentis animo, quæ colloquia compositionemque abneget, certum erit, nullam nisi in armis, injuriæ levandæ spem superesse.

§. 346. Ob eam rem, et reparatione negata, non statim ad arma convolatur, sed ubi copia detur, per *repreesalias* potius, et *androlepsiam* (ανδροληψιαν), hoc est, rerum ad privatos cives spectantium occupationem, aut civium ipsorum capturam, renuentem populum ad juris nostri expletionem adigimus. Quæ si intra modum debiti, et innoxiæ custodiæ stent, non a voluntario (§. 303.), sed a naturali gentium jure repetenda sunt. Satis enim ex iis, quæ de gentis natura, et dominio diximus, compertum est civitatis factum in ejus cives, et privata bona rite persequi posse (§§. 262. 277. 340.). Et revera in gentem recidit, quidquid hic privatus infortunio patitur; gentis enim obligatio est damnum hoc e publico sarcire (confer. §. 281.). Repreesaliæ tamen, vis publicæ genus, et sæpe belli præludium, justæ non erunt, nisi publico decreto exerceantur.

§. 347. Justa igitur belli causa, nonnisi a perfecti juris nostri læsione petenda est. Hinc facile patet injusta bella esse, quæ ad

punienda, corrigendaque aliarum gentium vitia suscipiantur, quando his securitas nostra in discrimen non adducatur; secus enim noxam præcavere naturale jus est. Unde perpetuum bellum est in piratas, qui humani generis commercia, et securitatem ex instituto oppugnant. At si ob prava facinora, quæ gens genti æquali prope jure (§. 327.) obtrectare posset, digladiari fas esset, quis unquam in tanta hominum malitia cædium modus futurus? Injusta et illa arma, quæ ob denegatam humanitatem, aut beneficentiam (§. 328.), inferantur, nisi sæva necessitas liberum officium in necessarium convertat (§. 343.). His longe iniquiora quæ dominationis, aut bellicæ laudis, et famæ: melius, ambitionis, et injustitiæ cupiditate: passim a veteribus in populos nulla injuria cognitos suscepta sunt.

Tandem nec ea prælia probanda quæ ob metum remotum, ex una alterius gentis crescente potentia derivatum, committuntur. Quo enim vis alteri licite inferatur, periculum præsens, vel imminens sit oportet (§. 89.): nec

injuria agit populus, qui suæ perfectioni (§. 325.) studet. Huic vicinorum industria par rectius, quam vis obiiciatur. At si eadem natio animum aliis nocendi certo jam ostenderit, non expectandum, ut viribus confirmata a læsione depelli nequeat, sed de noxa non inferenda cautio saltem in tempore ab eadem postulanda. Quibus regulis cum naturali justitia componendum videtur *Æquilibrium* illud *potentiæ*, de quo Politici, ubi pactis definitum non sit.

§. 348. Ex his satis cuique compertum existimo bellum utraque ex parte vere justum dari non posse. Si enim bellantium alter injuriam reapse prohibet, alter infert, seu injustus est; siquidem contradictoria duo simul vera esse non possunt. Verum, quando civilia imperia, quorum est bellum decernere, judicii sui rationes, independentiæ jure, uni Deo debent; inde est ut utriusque bellantis jura æqualia reputentur, et arma publice suscepta externo jure legitima habeantur a ceteris, qui neutrius parti sese immiscuerint. Non enim gentibus vetitum est aliarum causa bella suscipere; immo infirmiorum calamitatibus, ubi copia sup-

petat, occurrere ex universali benevolentia præceptum (§§. 85. 328.): quo referendum illud Ambrosii (1) - *Fortitudo, quæ defendit infirmos plena justitia est* -: et si pactum auxilium sit (§. 313.), perfecto jure debitum. Certam tamen his casibus de justitia belli, quod suscipit, sententiam habeat oportet qui alterius causæ accedit. Injustitiæ enim patrocinium, uti nec suscipere, ita nec promittere quis potest (§. 144.).

§. 349. Sed peculiari jure semoto, gentibus liberum est in belli societatem descendere, vel utriusque bellantis arma æquali jure prospicere. Status hic *Neutralitas* dicitur, cujusque populi judicio naturali jure relicta: quæ sæpius certis pactis confirmari inter gentes solet. Neutralitatis vero natura eo maxime stat, nequid neuter populus faciat, quo alterutrius vires in bello juventur, nec uni deneget, quod alteri concedit. Publico itaque in bello notandi primo loco sunt

---

(1) De Officiis *I.* 27.

populi qui inter se manum conserunt, hi *hostes* vocantur. Sed populus persona moralis est, et ejus voluntas per civile imperium innotescit (§. 277.). Simul ac igitur bellum publice indictum est, hostes vicissim habendi quotquot adversæ gentis cives reperiantur. Si qui vero ex his in pacato, aut nostro territorio commorentur, bellica vi persequendi non sunt, quando loci imperio, ceu temporarii cives, defensi (§. 339.). Hinc bello decreto, monendi peregrini, qui ad hostes pertinent, et pacis tempore ad nos venerunt, ut intra certum tempus a civitate discedant, quo transacto, sine causa renuentes pro hostibus habere licet. Hostium numero æque accensendi qui fœdere, aut benevolentia ducti, tamquam socii bellum gerenti accedunt. Præterea considerandi sunt populi *neutrales*, et *medii*; eorumque distinguenda territoria, *neutra* et *pacata* quæ vocant. Quibus perspectis bellica jura rectius explicentur.

CAPUT X.

De Jure gentium in bello.

§. 350. Sed age, *jam litui strepunt: jam fulgor armorum fugaces terret equos equitumque vultus*, quæ justitiæ vis concitata arma difficili hoc tempore continere valeat, expendamus. E necessitatis jure, et libero gentium statu hæ de bellica vi regulæ sunto.

I. Tanta vis in bello licita quanta ad injuriam vel propulsandam, vel præcavendam, vel reparandam necessaria sit (§. 343.).

II. Quidquid igitur morali necessitate cum nostræ securitatis fine conjungitur in hostes pro concesso habendum, cujus asperiores exitus non nobis, sed injustis aggressoribus imputandi sunt (§. 93.). Econtra vis omnis quæ juris nostri persecutioni nihil conducat sævitia existimanda est (§. 94.).

III. Vis rite semel illata ex nova resistentium malitia eousque juste augeatur, quo integrum jus nostrum in tutum collocare datum sit. Gravior enim injuria graviori vi repellenda est (§§. 95. 96.).

IV. Defensionis excessus interno jure injustus, externo impunis est. Rei enim acerbitate partim (§. 91.), partim independentiæ jure (§. 348.), belligerantium conscientiæ relictum est ad securitatis suæ modum hostium vires atterere. Unde *licentia bellica*, quæ dicitur, explicanda.

§. 351. His probe constitutis, minuantur jam bellica jura, quæ nonnulli juris nostri scriptores in infinitum extendere non dubitant (1). Vita etiam hostem jure spolies, sed ut injustam renitentiam amoveas, adeo ut doleat te alia via securitatem tuam consequi non posse. Non igitur jus hoc occidendi in hostes, qua hostes, sed qua no-

---

(1) Vide Pufendorfium *I. N. et G. II. V. III.* ibique Hertium n. 5.

stræ vindicationi obsistentes natura concessum est; quare nullum in deditos, senes, mulieres, pueros, pacificos sacerdotes, reliquumque imbelle hominum genus, quod hostili civitate includatur; licet huic incommoda, pericula sæva belli necessitate non injuste creentur. Ad hoc, et in illos, qui nobis resistunt, jus non erit vulnera ita dirigere ut mors ex eis necessario sequatur. Si enim hostem vi inferendæ ineptum reddidisti, quid ejus vitam aggrederis? Hinc ratio petenda cur venenatis armis, aut clanculario percussore in hostes uti infame habitum sit. Non cultiorum gentium mores tantum (§. 303.), sed æterna naturæ lex fæda hæc, quippe inculpatæ tutelæ modo contraria, odii, sævitiæ, humanæque diffidentiæ plena vel inter hostes admitti prohibuit.

§. 352. At quos occidere vetitum, eos capere injustum non est. Ea enim omnia in hostem licent, quibus ejus vim frangere, citiusque ad pacem compellere concessum sit. Jus igitur in captos infinitum non est, quod veteribus, et maxime Romanis placuit,

apud quos obnoxia illa servitus, naturæ opprobrium, fuit, quæ homines ad jumentorum conditionem dejecerat (1), sed eo omne stat ut captor libera, vel coacta custodia prehensos detineat quousque juri suo satis non fiat. Ubi itaque de bello per pacem transactum sit, vis omnis a captivis removenda est. Quam naturæ æquitatem sincerioris philosophiæ, at maxime Christianæ Religionis studiis monitæ Europæ gentes sequuntur, apud quas, positis armis, et pace restituta, captivi utrinque restituuntur, vel civile victoris imperium subeunt.

Quin immo eousque humanitas nostrorum temporum processit, ut bello adhuc fervente dimittantur sæpe captivi, postquam se non amplius eodem bello contra dimittentes pugnaturos, vel certum suæ redemptionis pretium promiserint. Quæ conventa, quum in se nihil mali contineant, sancte custodienda sunt. Victor enim in capti libertatem, externe

---

(1) Vide Heineccium *Antiq. Rom. lib. I. T. 3. §. II.*

saltem, verum jus sibi per bellum quæsivit, quod cum remittit, de re sua disponit. Unde hostis a prædone distinguendus, cujus nullum plane jus est (confer. §. 147.). Captivus vero, licet vi detentus, non tamen per vim promittit. Liberum enim ejus judicium est captivitatem æquali belli jure pati, an ad suos certis conditionibus redire.

§. 353. In res hostiles latius bellicum jus exeritur. Eas enim occupare, intercipere, corrumpere, diripere, vastare injustum non est, ubi his tantum hostium vires frangere, nostrumque vindicare fas sit. At nocendi libidine, et ultionis æstu, nullo nostro commodo in res hostiles grassari ferinum est. Ita nonnulla difficili hoc tempore prospicienda sunt. Loca, donaria Vero Deo dicata diruere, auferre impium est. Hominibus enim, non Deo arma inferuntur. Nec sacra nationis, ut Protestantes, errori suo convenienter (§. 308.), jactant, sed Dei sunt (§. 334.). Obsessam urbem annona, aquis prohibere non injustum, quando his deditionem, aut pacem maturius conse-

qui datur: fontes tamen veneno inficere, et barbarum, et inhumanum est; hinc enim et in imbelle hostile vulgus, cujus sanguini parcendum est, certa mors jacitur (§. 351.).

Occupatio vero rerum hostilium intra modum debiti, expensarum, necnon convenientis cautionis de futura noxa justum bellum gerenti adeo propria est, ut inde occupatarum rerum dominium sibi acquirat. Et quando horum æstimatio læsi populi judicio relinquitur, et reliquæ gentes bella publice suscepta æquali jure utrinque prospiciunt (§. 348.), inde est ut legitimo bello capta, licet ultra securitatis modum occupata, capientium propria habeantur, saltem externo jure, ita ut in humanis commerciis tuto versentur. Captæ autem intelliguntur hostiles res, ut dominium occupanti quæratur, mobiles quidem, simul ac in tutum perductæ sint, et hostis persecutionem effugerint: immobiles vero, quum, bello transacto, victæ gentis obsequio, aut pacis fœdere occupantis jus confirmatum fuit. Bel-

lo itaque manente immobiles res hostiles emere non licet, quando incerta adhuc earum acquisitio est.

§. 354. At si fortunæ beneficio, vel hostis humanitate, aut nostris armis personæ, et res captæ ab hostibus in gentis, cujus erant, potestatem redeant, antiquo statui ita restituendæ sunt, ac si nunquam captæ fuissent: quod *Postliminii* jus vocant: quo redeuntes cives, sine suo crimine, aut pacto, spoliari non possunt. Gentis enim officium est civium suorum jura ab interna, externaque vi sarta tecta tueri (§. 313.). Postliminio itaque reversis jura omnia, quibus ante discessum potiebantur, reddenda sunt, nisi quas actiones, solutione imperata, a debitoribus vi hostis exegerit. Res autem mobiles, sive immobiles sint, postliminio recipi ex eadem causa deberent. Verum difficultas mobiles res internoscendi, et lites inde necessario inter cives erupturæ civitatum rectoribus passim suasere eas, licet ab hostibus recuperatas, non antiquis dominis restituere, sed vel Fisco ad-

dicere, vel captoribus in prædam relinquere, nempe, ut lucri spe illecti milites acrius bello insisterent: quod ex publica causa invectum reprobandum non est (confer §§. 281. 282.). Cessat vero postliminium, quatenus huic captus in victoris gratiam, ut libertatem impetraret, renunciavit. Item postliminio carent, qui ad hostes defecere, transfugæ, puta, perduelles. Primo enim casu data fides omnino servanda (§. 352.): altero non defendendi, sed pœnis afficiendi, qui gentem suam prodere non dubitarunt.

§. 355. Circumspiciendum et illud in bello est ne dum nostrum persequimur aliorum jus imprudentius lædamus. Hinc vis omnis a neutralibus populis removenda; illis nempe qui neutrius partes sequuntur (§. 349.). Quare hostem occidere, capere, bonisque exuere pacato in territorio non licet, quando hæc publico gentis imperio, et dominio (§§. 338. 340.) plane contraria sunt. Ex eadem causa nec territorium neutrum, uti nec alienum, copiis nostris, bellicoque apparatu occupare licitum, nisi extrema ne-

cessitas hostem, qui illuc ad nos opprimendos properet, præveniendi favore suo, quo et alienas res contrectare quandoque concessum (§. 90.), invasionem hanc excuset. Damna tamen domino suo interim compensanda, et periculo depulso, statim occupata restituenda esse per se patet. Item a mobilibus pacatarum gentium rebus abstinendum est, sique hæ in hostili solo, aut navi reperiantur, dominis suis servandæ, ubi de earum proprietate constiterit. Alias enim quæcumque in hostium ditione, navibusve inventa sunt, hostilia præsumuntur (1).

§. 356. Sed gentes neutralitatem professæ, quo ab hostili vi immunes sint, sedulo caveant ne favorem suum in alterutram partem ostendant, neve bellum juvent aut producant (§. 349.). His finibus neutralium jura, et commercia concludenda sunt. Fugatos exercitus recipere, inermibus militibus media e cæde prolapsis asylum præbere neutralitati

(1) Vide Grotium *I. B. et P. III. VI.* 5. Loccenium de *I. M. Cap. IV.* §. *II.*

contraria non sunt ; non enim hoc statu universalis benevolentiæ officia cessant , nec gens neutra suo territoriali juri nuncium misit , quo advenas quoscumque recipere concessum est (§. 338.) . Econtra fracti exercitus vires armis , subsidiisque gratuito datis reficere belli instauratio est , quam neutralitas non patitur .

§. 357. Commercia quod attinet , si summum naturæ jus inspicias , neutra gens non tenetur internæ suæ perfectionis medium non leve (§. 322.), externum nempe commercium , quo ante bellum fruebatur , omittere . At enim perfectum hostis jus occurrit hostem his omnibus prohibendi, quibus resistentiam suam diutius producere possit . Hinc necessitatis jure sæpe futurum , ut communicatione cum hostibus intercepta , mediæ gentis commercia inania fierent, nisi quædam permutandi ratio sevaretur , quæ belli lancem neutram in partem inclinaret . Quamobrem de neutralium commerciis ratione , et usu hæc summa consensione recepta sunt.

I. Pacatæ gentes domi suæ cum externis quibusvis commercia libere exercent, modo alterutrum ex bellantibus in permutationibus non præferant.

II. Ad hostes etiam merces vehere commercii causa medio populo concessum est, iis tantum exceptis, quæ bellicum usum spectant, arma, puta, tormenta bellica, ceteraque solemni voce notata - *contrabbando di guerra* -: quod belli initio edici solet, ne postea quæstiones occurrant, an merces prohibitæ censendæ sint, necnè.

III. Verum cum obsessa urbe, vel arce, quæ rerum inopia ad deditionem compellitur, commercio quovis abstinendum est. Tunc enim annona armorum loco est, quæ ad hostem afferre pacatæ genti non licet (Reg. II.).

§. 358. Ex his bellum gerentibus potestas facta pacatorum naves in mari libero excutere, et inspicere an his vetitæ merces ad hostes vehantur: sique navis Magister inspectionem hanc prohibeat, aliove cursum vertat, velut hostis habetur. Attamen, ne cre-

briores, quam par est, belli causæ inter gentes existant, si prohibitæ merces in mediæ gentis navigio reperiantur, privato mercatorum consilio id factum præsumitur. Quamobrem in vectores tantum inquiritur, et merces vetitæ in prædam cedunt; at navis, et licitæ merces pacatæ genti servantur, quæ jure pacis excidisse non creditur.

§. 359. Arma itaque eo modo regenda quousque aut pax, aut victoria violenti concertationi modum imponat. De pace alibi: nunc victoris jus, quod bellum respicit, indicandum est. Quidquid sibi plaudant sævi scriptores, qui infinita victoriæ jura passim extollunt (1), illud certum naturali lege jus hoc, uti cetera bellica, ex indemnitate passæ injuriæ, cujus partes expensæ bellicæ habendæ sunt, et prudenti cautione de futura noxa metiri (recole ea quæ in §. 350. statuta sunt). Imperium itaque in victos tunc victor sibi

---

(1) Ceteris crudeliores sese exhibuerunt Henricus Coccejus *de Jure Victoriae*, et Samuel ejus filius ad Grot. Diss. *XII*. §. 754.

vindicet, quum hoc uno jura sua tueri valeat: quo tamen clementer uti debet, nisi suspecta devictæ gentis fides vim quamdam adhibere suadeat. Sed ubi hæc ita se habeant, belli status adhuc manet. Civili enim imperio fœdere, aut legitimo obsequio rite semel constituto, publica a privata felicitate sejungenda non est, jubente illo Deo, qui humana regna constituit, transfert, evertit (§. 310.) (1).

---

(1) Vide Eccli. X. 4. 8.

CAPUT XI.

De Pactis publicis, et Fœderibus.

§. 360. Vel bello, vel pace utile nationibus est paciscendi jus, quo humanitatis, et beneficentiæ officia gentibus natura imposita (§. 328.) perfecta fiunt (§. 135.), aliaque ad populi utilitatem invehuntur. Hinc pacta publica exorta, quæ generatim describi poterunt, *conventiones inter gentes ad publicam causam legitima auctoritate initæ*. Si gentis fides perpetuo, vel ad longum tempus publica pactione adstricta sit, conventum hoc proprie *fœdus* vocatur. Pacta publica, aut fœdera inire Majestatis jus est (§. 283.); unius enim civilis imperii esse potest populi fidem obligare. Sed et illa potestas, qua militum Imperator ratione muneris sui potitur e summo imperio est. Quare et belli Duces nonnulla publice rite paciscuntur. Cetera a civili Mi-

nistro sine Principis mandato promissa, non publica pacta, sed *sponsiones* appellant.

§. 361. In fœderibus itaque præter paciscentis *jus*, quod summi imperii jam novimus, eadem observanda quæ de *consensu*, et *materia* promissorum in privatis conventionibus exposita sunt (§§. 140. 144.). De *vi* tamen, et *metu* aliter inter gentes, ac inter privatos homines (§§. 146. 147.), non una de causa disputandum est. Principio non ita facile gravis metus in gentem cadit, cujus vires privatis longe præstant. Ad hoc, ubi aliqua belli causa justifica prætexta sit, difficile judicatu est, an metus injustus dici debeat. Aliter enim prædonis, aliter hostis vis exeritur. Alter nec aggressionem antevertere sinit: alter quæ sibi perfecta obligatione deberi putat antea petit, bellique, aut pacis conditiones offert (§. 345.). Ubi igitur bellum publice susceptum est, quum nemo sit qui jus inter gentes dicere possit (§. 348.), necessitatis lege unum martis arbitrium relinquitur, quod externo jure servandum sit. Postremo, nulla genti-

bus a belli calamitatibus evadendi spes maneat, si fœdera cum victoribus inita metus exceptione inania fiant. Quamobrem ipsa socialitas, et tranquillitas humani generis injustæ vis exceptionem a fœderibus repellit: nisi victor a latrone non re, sed copiis tantum distet: qualis, puta, Alexander in Scythas fuit.

§. 362. Paciscendi jus, quando humanæ socialitatis, felicitatisque promovendæ medium (§. 135.), commune omnium, quibus eadem natura obtigit, est. Et cum iis igitur, qui a vera Religione abhorrent, et cum hostibus pacta publica inire fas erit: utrique enim ex humana familia sunt. Multiplex autem paciscendi materia, et causa occurrit, unde multa publicarum conventionum, et fœderum genera facta, quæ nos universa ita perstringimus. Principio conventa publica, fœdera vel *pacem*, vel *bellum* respiciunt. Bellica pacta vel cum *amicis*, vel cum *hostibus* icta. Hæc aut ad bellicam *vim moderandam*, aut ad *tollendam* perti-

nent. Subjectas cuique generi species commodius jam explicemus.

§. 363. *Pacis* commoda promovent fœdera, quæ humanitatis, et beneficentiæ officia inter gentes firmant, et determinant: quo referas fœdera *hospitii*, *transitus*, *commerciorum*, *ne vectigal ullum*, aut *ne majus*, quam in præsens, *pendatur a mercatoribus* (vide §§. 330. 331. 338.), et hujus generis alia. Bellicam causam inter amicos populos propositam habent fœdera illa, quibus vel eorum *auxilia* indefinita, aut determinata contra hostilem vim, vel *neutralitatem* belli tempore (confer. §§. 349. 357. Reg. II.) certa lege nobis paciscimur.

§. 364. Sed et cum hostibus utile quandoque est, vel medio bello, publice quædam pacisci, de quorum validitate dubitandum non est. Ipso enim bellico statu quidquid necessitati nostra tuendi superest primigenia socialitas inter homines sibi vindicat (v. §§. 83. et 361.). Hinc quædam belli commercia invecta inter hostes, qualia sunt, *Induciæ*, *Commeatus*, *captivorum Redem-*

ptio. Induciæ sunt *publica conventio*, *qua*, *manente bellico statu*, *hostilibus actibus ad tempus abstinendum est*. *Generales*, vel *particulares* induciæ vocantur, prout his omnes, et ubique, vel designati quidam bellici actus sistantur. Illas sine expresso Principis mandato concedere nefas: has ratione muneris sibi commissi et Imperatores, bellique Duces minores juste decernunt.

§. 365. Induciarum finis non est bellum tollere, sed ad certum modum suspendere. Igitur transacto tempore, in quod induciæ conventæ, sine nova indictione hostilia resumuntur. Si tamen per longius tempus ab armis cessatum sit, atque ita molliores animi effecti, rectius erit bellum iterum indici, ne pacis componendæ occasio ulla prætermittatur (confer. §. 345.). Dum vero induciæ sunt, intra conventi fidem pacis commercia omnia ita exercentur, ac si nunquam bellum fuisset. Nefas igitur eo tempore hostis causam deteriorem facere. Inde inferas induciarum tempore nec postli-

minio (§. 354.) locum esse, nec transfugas recipiendos (1). Hostilia tamen non molitur qui suæ defensioni prospicit. Quare dirutos, muros reficere, aggeres munire, militiam legere induciarum naturæ adversa non sunt, nisi hæc ex tempore talia sint, quæ belli statum prorsus immutent, puta, in obsessa urbe; tunc enim ut belli lanx æqua per inducias maneat, nihil hinc inde agendum videtur quod offensionem, vel defensionem contineat. Ubi autem hostile aliquid publico consilio patratum sit, induciæ violatæ, et bellica jura ex altera parte, resoluta pactione, illico reviviscunt (§. 193.). Si privatus hoc fecerit, damnum sarciendum, et infractor puniendus, ne civis facinus genti ascribatur (§. 339.).

§. 366. *Commeatus* dicitur *facultas per literas* (passaporto, salvocondotto itali dicimus) *hostis subditis data, ut per territorium hostile eant, redeantque*. Privi-

(1) Concord. *Leg.* 19. §. 1. *ff. de Capt. et postlim. rever.*

legium est Commeatus non sine periculo dantis, quippe hosti concessum, quod proinde ex verborum proprietate, et fine concessionis interpretandum est. Quare si *militibus* commeatus indultus sit, ad summos belli Duces extendendus non videtur, licet Grotius contra senserit (1). Propria enim *militis* significatio Imperatores etiam non comprehendit, et longe gravior metus a belli Duce, quam a gregario milite, Centurione, Tribuno per hostilia loca vagante impendet. At si bellicis viris universe potestas commeandi data sit, ea voce, et Imperatores comprehendentur. Ambiguitas certe si quæ hic occurrat, vitio promittentis vertenda est (§. 212.). Econtra ea omnia in commeatu concessa videntur quæ morali necessitate cum ejus fine conjungantur. Ita si itus ad certa loca alicui concessus, ei et reditus largitus intelligitur; alias enim nullius momenti sæpe commeandi jus futurum. At cui abi-

---

(1) *I. B, et P. III. XXI.* 15.

re datum est, ei non item et redire. Utrisque tamen securitas præstanda in itinere, quæ concessionis cujusque utilitas est. Pariter, cui speciatim commeandi jus datum, ei filium, uxorem simul ducere non item concessum; peregrinari enim et sine familia possumus, nec privilegium ultra nominatas personas porrigendum est. Famuli tamen pro dignitate viri, etsi non expressi, dominum sequentur. Cetera ex rectæ interpretationis regulis sumenda sunt.

§. 367. *Captivos redimere* præstans caritatis opus, et genti etiam justitiæ lege præceptum, ubi capti nihil in publicam rem deliquerint, quo liberatione indigni habeantur. Aliud nobis Christiana Religio, qua et naturalis ratio perfecta, ac Romanis Ethnicis imperii sui amplificandi studium suadet, quorum legibus bellicæ gloriæ, quam humanitatis in hac re studiosioribus probatum erat ut - *periret immiserabilis captiva pubes* -: quemadmodum cœcinit Horatius (1).

---

(1) Carm. *III. Od*. 5. v. 17.

Hinc frequens apud nos in bello de captivis redimendis conventio *cartello*, quam vocant, quæque, si fraus, dolusve non intercessit, servanda omnino est (§. 352.). Pretium redemptionis debetur, simul ac quis libertate donatus sit. Quare si quis habita fide de pretio a captore dimissus priusquam ad suas perveniat moriatur, pretium ab ejus hærede præstandum. At si contra de libertate pactus in hostis manu decesserit, nihil debetur.

§. 368. Sed eorum, quæ cum hostibus paciscuntur nihil præstantius est, quam *Pacis fœdus*, *quo* nempe *inter gentes bello implicitas de controversiis, unde bellum exortum est, deciditur*. Inde pax discreta ab induciis, quæ hostilem vim tantisper prohibent, at belli causas non tollunt. Pacis jus, non secus ac belli, Majestaticum novimus (§. 283.). Rege infante, aut imminutæ mentis, eorum erit pacem decernere, penes quos legitima imperii administratio sit. Natura Pacis, uti ex definitione patet, transactionis est, hinc ejus regulæ certo præ-

scribi non possunt, cum a partium conventionibus pendeant , quæ illud maxime curant, ut positis armis , aliquo dato, vel accepto , ad antiquam socialitatem , unde invitæ discesserant , iterum redeant , et tranquille in posterum degant . Cui tranquillitatis proposito nil magis convenit , quam *Amnestìa* , quæ fœderum pacis exordium esse solet: *eorum*, nempe , *quæ utrinque in bello et belli causa gesta sunt*, *asperiora licet*, *publice sancita oblivio* . Ita enim injuriarum memoria sublata , æquiori , diuturniorique paci consulitur.

§. 369. Quæcumque publicæ pactionis forma fuerit , satis constat gentis fidem sancte præstandam esse . Una enim justitia est, quæ pactorum implementum inter homines urget (§. 138.): sed longe gravior publicæ , quam privatæ fidei violatio contingit , quando publica e perfidia damna , et calamitates innumeræ in populum irrumpunt. Nec ad rem refert paribus, an imparibus conditionibus fœdus conciliatum sit: puta, si una gens alteri auxilia spondeat , nec sibi eadem

ab altera in tempore restipuletur : vel si honoris prærogativam præ se alteri promittat : aut si majus sibi, quam alteri, onus imponat quæ fœdera *inæqualia* dicuntur, dum contra alia , in quibus mutuæ præstationes utrinque æque se habent, *æqualia* appellantur. Nam nec liberalitas gentibus est interdicta, et sæpe gens inæquali fœdere præstantius bonum sibi comparat . Uti igitur inter gentes convenerit , modo fraus , aut dolus abfuerit, ita jus esto .

§. 370. Hæc tamen de publicis pactis intelligenda . At in *sponsionibus* (§. 360.) populi fides adstricta non erit , nisi postquam publica ratihabitio accesserit , quando sine mandato nostro obligari non possumus (conf. §. 157.) . Sponsor vero , ubi suum paciscendi jus candide ostenderit , genti , cui spopondit, ad operam suam præstandam , ut sponsio a summa potestate probetur, tenebitur ; et ideo postquam incassum ratam haberi promissionem suam curaverit , ejus fides liberabitur ; et damnum , si quod inde secutum , non sponsori , sed gentis impru-

dentiæ tribuendum. At si contra Sponsor simulatione juris, quo revera carebat, nationem deceperit, habendus est veluti reus, qui patrato crimine in alieno territorio ad suos se recepit, cujus facinus civitas defendere non debet, ne ipsa in delinquentis causam succedat (§. 339.). Quamobrem læsæ gentis damnum, vel condigna satisfactione e fraudolentis sponsoris bonis, vel etiam ipsius deditione reparandum est.

§. 371. Iisdem modis, quibus exortas e pactis obligationes cessare vidimus (Lib. I. C. XIII.), fœdera etiam dissolvuntur: sique ambigui aliquid in fœderibus occurrat, quæstio ex rectæ interpretationis regulis, a natura derivatis (Lib. I. C. XIV.), dijudicanda. Quisquis enim jus ex pacto sibi quæsivit, jus etiam nactus est paciscentem cogendi ad præstandum id, quod æterna veri ratio conventione comprehensum demonstret: alias pactum inane jam nomen inter homines fiat (§. 205.). Obligationis subjectum in fœdere populus est: eo igitur extincto, et fœdera cessant, licet onera rebus pu-

blicis rite semel imposita perpetuo cum sua causa maneant (§. 204.). Gens autem non extinguitur, quum formam unam reipublicæ mutat; idem enim morale corpus, idem imperium civile, unde pactum processit, manet. Quare Democratia in Aristocratiam, aut Monarchiam conversa, et vicissim, antiqua fœdera non delentur, nisi ejusmodi sint ut peculiaris cujusdam regiminis causa suscepta videantur. Tunc enim consensus perspicue certo statui adjectus, *quo mutato*, obligatio evanescit (§. 203.).



CAPUT XII.

De Accessoriis Fœderum

UBI

De Guarantigia, Pignore, et Obsidibus.

§. 372. Publicæ perfidiæ mala metuentes populi id maxime curarunt, ut fœderum fidem novis usque vinculis sanctius adstringerent. Ethnicis etiam gentibus in more fuit Divinitatem in fœderum custodiam advocare non sine victimis, solemnique ritu, quo paciscentes cœlestis iræ metu in officio continerentur. Hinc illi Romanorum Fœciales in fœderibus pangendis adhibiti, nempe, ut publicam fidem religione inter gentes munirent (1). Accessere postea *Sponsores*, *Conservato-*

(1) Livius *lib. IV.*

resque, scilicet, ditissimi, potentissimique cives, paciscentis Principis subditi licet, qui percusso fœdere conventi fidem spondebant addita lege ut, ea violata, arma ipsi in infractorem converterent. Ita fœdus ad Vernonium Anno MCCXX inter Philippum Augustum Galliarum, et Joannem Britanniæ reges initum firmatum legimus duodecim gallis, anglisque utrinque Baronibus fidejussoribus datis. Sed mos hic non sine majestatis offensione invectus jam exulavit, et passim receptæ cautiones *Guarantigia*, *Pignora*, *Obsides*, de quibus breviter dicendum est.

§. 373. *Conventio publica* est *Guarantigia*, *qua unus pluresve populi fœderi accedentes, ejus implementum alteri contra eum, qui pactum violet, spondent*. Si ad omnia fœderis capita guarantigia porrigatur, *generalis*: si ad nonnulla tantum, *specialis* dicitur. Guarantigiæ natura præstationem auxiliorum in tempore continet, quæ tamen injustæ causæ præbenda non sunt (§. 348.). Si igitur fœdus, cujus observantia sponsa

est, juri alteri quæsito contrarium detegatur, guarantigiæ obligatio cessabit. Ubi autem de recta fœderis interpretatione quæstio inter partes occurrat, eorum, qui de fœderis implemento spoponderunt, officium erit contrahentium rationes diligenter expendere, eique assistere, cui jus faveat. Sique uni tantum ex paciscentibus guarantigia promissa sit, neque hujus injusta querela suscipienda. Præterea guarantigia, ut per se patet, non spondentis, sed contrahentium utilitatem spectat. Si igitur hi communi consensu fœderis conditiones aliter componere velint, guarantigiæ promissione non impedientur. At is, qui certum conventi genus inter partes servari promisit, recte fidem suam liberatam dicat, quum ei alia conventio protegenda obtrudatur.

§. 374. Et illud inter gentes receptum rebus potius, quam pactis, fœderum observantiam curare. Hinc sæpe fœdere percusso in conventi securitatem publica bona, vel gentis dominio utcumque comprehensa, populo, cui aliquid præstandum est, traduntur, et

pignus: vel conventione obligantur et *hypotheca*: sique una cum possessione jus etiam fructus ex re percipiendi in creditorem translatum sit, *Antichresis* cautio inde facta vocatur: quæ postrema conventio licita inter gentes erit, modo alia subsit causa, quæ ex se justam *interusuriorum* perceptionem secumferat: quod paciscentium conscientiæ relinquitur. Jamvero creditoris jus ex securitate sui crediti metiendum. Unde si ipsi urbs, vel provincia, et cum antichresi, tradita sit, sat habeat creditor rei possessioni insistere, et redditus percipere; imperium vero non attingat, nisi necessitas pignoris tuendi id flagitet. Si et imperium ipsum traditum sit (usuvenit enim et hoc aliquando), nihil de veteri reipublicæ forma mutandum est. Imperium enim quale traditum fuit restituturus creditor accepit. Inde etiam ejus obligationes descendunt, curare ne res pignori data in deterius abeat, et soluta obligatione, pignus sine mora domino reddere: quæ et inter privatos homines eodem conventi genere animadversa sunt (§. 200.). Quæsitum

pitamen est, an soluto debito, pro quo pignora sunt tradita, liceat creditori eadem retinere pro alio debito, quod interea contractum sit, et cujus solvendi dies jam venerit? et licere verosimilius videtur. Natura enim debitoris bona pro obligationibus ejusdem explendis pignori obnoxia intelliguntur, quæ si arripere, quum non habeat, creditori fas est, multo magis possessa liceat retinere.

§. 375. Non raro fœderum securitati prospicitur *civibus unius gentis*, *illustrioribus præsertim*, *alteri in conventi fidem traditis*, qui *Obsides* vocantur; quorum libertas, non vita oppignorata censetur. Nec ipsis enim in necem suam, ubi fides non servetur, consentire permissum, nec civili imperio directum jus in vitam civis, sine hujus delicto, competere potest. Jus igitur inde profluens a fœderis securitate metiendum est, quæ obsidis detentione, et custodia absolvitur. At si jus hoc in alium translatum est, nec obsidi fugere, nec civitati, quæ dedit, fugitivum retinere liceat; secus enim inane jam

pactum fiet. Si igitur fugitivus obses ad gentem suam redierit, publico consilio reddendus: quod majores nostri publicæ fidei convenienter in Clœliæ fuga statuerunt (1). At si moriatur obses, civitas non tenetur alium ejus loco sufficere; ex obsidis enim persona cautio data est, qua extincta, pignus in ea constitutum evanescit. Ad extremum, aut fœdus impletur, aut violatur. Prima hypothesi obses statim liberandus: altera, servus fiet ex pacto, nisi læsæ gentis magnanimitas quæsitum sibi jus remittat, aut leniat.

§. 376. Quæsitum et illud hic est, an obses in unam causam datus, postquam illa impleta fuerit, pro alia obligatione, quæ interea inter easdem gentes contracta sit, et cujus præstandæ dies jam venerit, retineri possit? Sunt qui ex regulis justi hoc licere pronunciant, non quidem *obstagii*, sed *androlepsiæ* jure, quo gentis factum in

---

(1) *Livius II.*

hujus cives persequi posse vidimus (§. 346.). At contra observandum, obsidem certa de causa, et publica fide in externæ gentis manus venisse, cujus præsentia conventa ad hostilem vim eidem inferendam postea uti, nec decoro, nec æquitati congruum videtur. Si tamen ex obfirmato perfidæ gentis animo res ad bellum omnino spectare incipiat, defendi poterit obsidis retentio, quatenus eo facto bellicam cladem antevertere fas sit, ex quo principio et androlepsia probata est (eod. §.).



CAPUT XIII.

De Legationum Jure.

§. 377. Socialitatis statum frustra nationibus imposuisset natura (§. 326.), si nulla eisdem cum aliis negocia, et officia communicandi ratio superesset. Atqui gentes, personæ morales (§. 262.), nec perfecta jura sua ab aliis vindicare, nec fœdera inire, nec benevolentiam suam in alias ostendere valeant, nisi publica legatione quidam constituantur, quibus gentis negocia apud alios populos curare potestas sit. Necessarium igitur inter gentes legationum jus, quo sublato, primigeniæ socialitati renunciandum jam est.

§. 378. Vix itaque gentes conflatæ sunt, necessario esse debuerunt *qui ab uno populo ad alterum publici negocii gerendi causa mitti possent*, *Legatos*, quos dicimus. Unde patet legationum jus liberarum gentium

tantum proprium esse. Sane qui a provinciis subditis ad Principem, publica etiam de causa, mittuntur non Legati, sed *Deputati* vocantur. Legationes igitur ac legatos decernere Principis est (§. 283.), sine cujus auctoritate publicam rem attingere nefas (§. 278.). Necessitatis jure, et ne pacis reducendæ spes intereat, civitate contraria in studia, successorio, puta, bello, scissa legationis jus ipsis partibus divisi populi, quasi pluribus civitatibus pro tempore extantibus defenditur. Legatos vero, quos gentes sui juris ad alteram mittunt moribus nostris *extraordinarios* et temporales, aut *ordinarios*, et assiduos distinguimus. Illi cujusdam publici negocii causa, quo absoluto, ad gentem suam redeant, mittuntur: hi contra a gente, ad quam missi, recipiuntur, ut ibi maneant, nationisque suæ res et jura defendant; atque ita si dissensionis, et querelarum causa aliqua inter amicos populos occurrat, quam citissime omnia componantur: quæ assiduas legationes, veteribus in-

cognitas, præsenti humanitate invehendi utilitas fuit.

§. 379. E legationum necessitate, et præstantia (§. 377.) satis compertum gentem, quæ nulla probabili causa extraordinarios legatos reiiciat, injustam esse, quippe quæ socialitatem naturæ lege præceptam aperte deserat. Necessitas una propriæ securitati consulendi, qua humanitatis, et beneficentiæ officia suspendi posse inter homines alias vidimus (§§. 80. 82.), justam legatos reiiciendi causam quandoque præbeat. Quod si peculiari aliqua ex causa externæ gentis legatum intra civitatem recipere tutum non sit, sat sociabilitati consultum erit, si locus in imperii finibus designetur, ubi legatus nationis suæ mentem genti, ad quam missus, aperire valeat. Assiduas autem legationes quod attinet, ut hæ primum in gente aliqua introducantur, expresso, aut tacito Principis consensu opus est.

§. 380. Legatione autem admissa, non gentium mores tantum (§. 303.), sed æterna naturæ lex sanctitatem legatis attribuit, qua

inviolabiles per gentem, a qua recepti, habeantur. Injurias quod attinet, si hæ in hominem quemquam vetitæ (§. 74.), multo impudentius, et flagitiosius in legatum admittantur. Ecquæ enim socialitatis inter gentes colendæ ratio supersit, si legationis munus in extera gente, et aliquando inimica, tuto suscipi non possit? Unde etiam omnibus et illud exploratum esse debet, vel ipsam legati rejectionem contumelia omni vacare oportere. Ad hoc legatus, qui gentis nomine agit Principis, a quo missus est, majestatem quodammodo exhibet, quam violare nefarium non minus, quam periculi plenum est. Hinc ille *reprehesentativus character*, quem vocant, in legato spectatur, cui etiam honores nonnulli plus, vel minus ampli tribuuntur.

Nunc gentium moribus, et pactis, ne præcedentiæ quæstio inter plures legatos, qui apud eamdem gentem degant, quod legationibus assiduis statutis necessario fit, oriretur, tres legatorum, eorum nempe, qui publicum mandatum in rebus publi-

eis habent, ordines distincti sunt. In primo stant legati proprie dicti *Oratores* (Ambasciatori). Alterum tenent *Ministri plenipotenziarii* et *Inviati*. Tertium obtinent *Residentes*, *Incaricati*, *Ministri senza carattere*, *Segretarii*, *Consiglieri d' Ambasciata*. Hoc invento gentes, quæ de præeminentia litigant, (1) juri suo consulunt, diversi ordinis legatis missis, quibus non ob gentis, a qua missi, dignitatem, sed ob gradum, quem habent, diversi honores conceduntur. Alias enim inter æqualis ordinis legatos eorum præcedentia a gentis, quam exhibent, præeminentiâ æstimanda (2): nisi aliter conventum sit.

§. 381. Sed et altera sanctitatis, vel immunitatis nobilissima pars in legato agnoscenda, ipsius nempe *independentia* a jurisdictione tum civili tum criminali gentis, in qua mo-

---

(1) Romani Pontificis, S. Sedis præcedentia divino Primatus jure nixa inter catholicos Principes in discrimen nunquam revocata est.

(2) Vid. Wicquefort *Memoir. touchant. les Ambassad pag.* 3.

ratur. Nam primo et Princeps externus, cujus majestatem refert legatus, si alterius territorium amice ingrediatur, hujus subditus non fit, sed res acta censetur velut inter duos Patresfamilias, quorum unus alterius domum ingreditur negocii cujusdam expediendi causa, qui certe familiari imperio eo facto non addicitur, licet in hunc defensionis jus, si quid in domus, in quam receptus, exitium moliatur, esse possit. Præterea, si externo imperio eodem modo ac ceteri peregrini legatus teneretur, sæpe Principis sui mandata exequi non posset, illa agendi libertate destitutus, qua publica negocia sollicitudinis, ac curarum plena solerter instruenda, curanda, perficiendaque sunt. Legati igitur a jurisdictione gentis, a qua recepti, quantum quidem ad se, munusque suum pertineat, naturali jure eximuntur. Cetera privilegia, quæ a legationis necessitate non profluunt, atque ita varie se apud populos habent, a conventionali gentium jure repetenda sunt.

§. 382. Quamobrem si legatus aliquid in rempublicam, a qua receptus, ejusve cives

peccet, ordinaria coercitione persequendus non est, sed genti sat erit, reum Principi suo puniendum remittere. Sane ex hac regula discedendum non est, nisi extrema gentis necessitas aliter flagitet. Tunc enim non imperii, sed defensionis jure servanda respublica est. Non tamen facile extrema hujusmodi fingenda sunt. Præstat enim incommodum quoddam potius subire, quam in odium, et invidiam gentis, quæ facile legatum suum externa vi oppressum clamet, offendere. Sed hæc ad Politicam spectant.

§. 383. Jura, privilegiaque legationibus adjuncta, quæ hactenus recensuimus, iis debentur, quibus a Principe gentis nomine agere mandatum sit. Quo igitur legati juribus hisce fruantur, publicum mandatum genti, ad quam missi, ostendant oportet. Mandatum hoc quibusdam codicillis, aut instrumentorum tabulis consignatum *credentiales literas* appellant. His enim Princeps testatur velle se ut legato suo credatur, et ea omnia, quæ mittentis nomine promiserit legatus, rata se habiturum spondet.

CAPUT XIV.

De Gentium Interitu.

§. 384. *Principes mortales, rempublicam æternam esse*, Tiberii vox fuit apud Tacitum (1). In eamdem sententiam Julianus Imperator *immortales civitates* dicebat (2). Quid inde? populusnè interire non potest? Contra stant exempla nationum, florentissimarum licet, quarum nunc vix superest memoria. Dicendum potius gentem non ita ut hominem perire, quippe quæ, et hominibus universis, quibus antea constabat, deletis, novisque suffectis, eadem adhuc maneat: quemadmodum in flumine, nova usque aqua accedente, et recedente contingit: de quo Seneca scribit (3) - *Manet idem fluminis no-*

---

(1) *An. III.*
(2) *Epist. pro Argivis*
(3) *Epist.* 58.

men , *aqua transmissa est* : - sed et huic suum interitum esse posse, qui tamen, quum ab hominum vita necessario non pendeat, naturalis non videtur . - *Debet enim*, diserte Tullius penes Augustinum (1), *constituta sic esse civitas , ut æterna sit . Itaque nullus interitus est reipublicæ naturalis, ut hominis , in quo mors non modo necessaria est, verum etiam est optanda persæpe . Civitas autem quum tollitur , deletur , extinguitur, simile est quodammodo , ut magnis parva conferamus , ac si omnis hic mundus intereat, ac concidat.* - Peculiaris igitur gentium interitus nunc explicandus , hicque a gentis ipsius repetendus natura .

§. 385. Jamvero civilis corporis vita publico gentis ipsius in imperio stat . Eo enim plura individua , quibus determinata quædam civitas constat, in unum spiritum , moralemque personam illam , quæ populus dicitur , conjunguntur (§§. 10. 17.) : inde

---

(1) *De Civ. Dei lib. XXII. Cap. 6.*

motus, qui vitæ indicium est, in sociale corpus universum excurrit (confer. §§. 270. 287.). Dissoluto igitur vinculo hoc, viriumque commercio civile corpus intereat oportet, eodem fere pacto, quo destructo sanguinis circulo in homine, animalis mors adest (1). Populus itaque et deletis, dispersisve hominibus, unde constabat, et salvis, interire potest, modo imperii solutio in communitate contingat. Ibi enim *materia* : hic *forma* populi extinguitur.

§. 386. Prioris interitus exempla dant populi, qui infortunio quodam absumuntur, mari, puta, abrepti : ut de Atlanticæ populis memorat Plato (2) : aut quos terræmotus, vel chasma vivos hausit (3), qui internecioni sese ipsi dederunt, ut Saguntini (4) : qui tandem pestilentia, aut seditione ita distra-

(1) Vide Fridericum Hoffmannum *Diss. de Method. acq. vitam longam* §. *IV*.

(2) *Tom. III. p.* 25.

(3) Vide Senecam *Ep.* 91.

(4) Livius *XXXI.* 14.

huntur, ut in unum amplius coire non possint. Quæsitum hic est, si pauci quidam ex his cladibus effugerint, an jura antiqui populi superstitibus integra maneant? Quod asserendum, modo is numerus sit, qui civilis societatis præcipuum finem, internam externamque securitatem (vide §. 312.) præstare possit. Alias enim dicendum cum Grotio (1) superstites dominium quidem, quod prioris populi fuit, ad modum privatorum sibi asserere posse, civitatis autem jura non posse.

§. 387. Interitus gentis, qui salvis hominibus contingat, exempla exhibent populi, qui externis armis devicti, proprio imperio exuti, victrici nationi adiiciuntur, sive in provinciæ formam redigantur, sive distracti victoris imperio accrescant. Quidquid enim horum evenerit, populus, qui antea fuit, civitatis pars postea efficitur. Econtra nomen, et vis gentis manet, sive ea

(1) *J. B. et P. II. IX. IV.*

reipublicæ suæ formam mutet (§. 371.), sive solum vertat. Utrobique enim illa communitas juris, eodem vinculo consociata occurrit, quæ civitas dicitur, Deo carissimum opus, Scipione teste, qui sic in somnio loquens inducitur a Tullio - *Nihil est*, inquit, *illi Principi Deo*, *qui omnem hunc mundum regit*, *quod quidem in terris fiat*, *acceptius*, *quam consilia*, *cœtusque hominum jure consociati*, *quæ civitates appellantur*. - Quibus et nos æterni justi regulas hucusque aptasse maximum Supremi Conditoris munus agnoscimus, cui nostrum hoc de naturali jurisprudentia conamen, qualecumque sit, universum dicatum volumus.

Finis

INDEX CAPITUM

INSTITUTIONUM



LIBER. I.

DE JURE NATURÆ

LIBER. II.

DE JURE GENTIUM.

Nihil obstat

F. Ant. M. Latini O. M. Conv. Cens. Theol.

Nihil obstat

Ant. M. Gagiano de Azevedo Sacræ Consist. Aulæ Advoc. Cens. Legalis

---

I M P R I M A T U R


Fr. Dom. Buttaoni O. P. M. S. P. Soc.

I M P R I M A T U R

Jos. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.

			ERRATA	CORRIGE
Pag.	52	l. 6	Constituta	constituta
	76	24	Marci XVI. 13.	Marci XVI. 15.
	120	16	eum hostibus	cum hostibus

Levioribus mendis veniam da.





NORCIA

JURIS NATURÆ ET GENTIUM INSTITUTIONES

II

1830

procuranda utamur. Reque vera, si sibimetipsis Politicistæ constare velint, impie cum Macchiavello doceant oportet, pro ratione status, si hæc unquam veræ pietati contraria esse posset: quod cogitare nefas: absurdam etiam Religionem quandoque retinendam im

cultui
ne ad
jus int
quand
non e
depen
versa
cessum
sed cu
turæ inv
48.). I
religiosa
ascribit
tium c
tiones
quid i





possit (quæ externi juris natura est (§.30.), sed quid summo naturæ Conditori a gentibus debeatur, hic inquirendum. Naturæ autem præceptum est universale divinam voluntatem, si quæ certo hominibus patefacta sit, promptissime amplectendi (§. 53.): quod in Christiana Religione evenisse et Theologi, et

tri-
les
fon-
IV.